

Chronicon monasterii Campensis ordin. Cisterciensis

ex originali edidit manuscripto

Hermannus Keussen.

Cathalogus Abbatum Campensium.

Fundatio monasterii de Campo Cysterciensis ordinis. Coloniensis dyocesis. sub anno gracie millesimo centesimo. vicesimo secundo. predie kalendas februarii inchoati. cum serie annorum. ac aliquarum memorabilium rerum noticia. per singulorum eiusdem loci abbatum successiones. sicut in scriptis seniorum et predecessorum nostrorum. nee non in quam pluribus litteris super diuersis causis per decursum temporum confectis repperitur usque ad annum millesimum quadringentesimum LXXXII^{III} scire cupientibus summatim sequenti scripto panditur¹⁾. quatenus et ipsi studiose et diligenter. in eodem monasterio in posterum deo seruituris. per ordinem temporum que facta fuerint nota facere non omittant. quatenus ipsis utilitas inde causetur et preteritarum rerum cognitio non lateat. ne ea que geruntur in tempore cum lapsu temporis pereant. cum spe utile cautumque fuerit. litteris tradi utilia negotia. maxime ideo quia dies mali et breues sunt et presens etas requirit. vt si contra rem gestam aliqua consurgat dubietas vel malignorum inuidia. rei veritatem et notiam litterarum eloquia protestentur.

Anno igitur ab incarnatione domini millesimo nonagesimo octauo. Cystercium. prima et principalis abbatia ordinis accepit exordium. sub beato patre Roberto. eiusdem monasterii primo abate. Ex hac

1) Die letzten Zahlen XII resp. XIII sind später mit anderer Tinte nachgeschrieben worden. Die Chronik wurde also wohl nach 1470 begonnen und im Jahre 1482 oder 1483 vollendet.

igitur abbatia Cystereensi. tamquam ex vite vera quam dextera domini in atrio ecclesie plantauit. quatuor in exordio prodierunt palmites. videlicet quatuor ordinis principalia monasteria. Quorum primum scilicet Firmitas fundatum fuit anno domini MCXIII. secundum Pontigniacum anno MCXIV. tertium Clarauealis anno MXV¹⁾. quartum Morimundus eciam anno MCXV. Per ista quatuor monasteria vinea domini sabaoth in Cystercio plantata extendit palmites suos per multorum monasteriorum fundationes vsque ad mare et vsque ad fines terre dilatata est feliciter²⁾.

Ordo Templariorum.

Circa hec tempora ordo templariorum incepit. qui primo albisi sunt mantellis. et rubram crucem superpositam portauerunt fueruntque Hugo et Sanfredus primi fundatores eius. et sanctus Bernardus abbas regulas eorum composuit. habitaueruntque primo iherosolimis in porticibus templi iuxta sepulchrum domini unde et Templarii dicti sunt. Et stetit ordo ille per ducentos ferme annos et deletus fuit anno domini 1307. Item ordo sancti Johannis baptiste Jherosolimitani inchoatur hoc tempore per venerabilem virum Raymundum operibus maxime deditum. Huius vount se pauperibus seruituros³⁾.

In monasterio itaque Clareuallis. primus abbas fuit sanctissimus pater Bernardus ex Cystercio illic in prima sui fundatione cum novo conuentu directus. qui quamuis primus pater et inchoator ordinis non fuerit. tamen sanctitate et miraculis precipuus habetur.

In monasterio vero Morimundi primus abbas fuit dominus Arnoldus qui cum beato patre Bernardo sub uno preposito ingum domini in sacro ordine pluribus annis portauit. qui tandem relinquens regimen monasterii Morimundi irreuocabili proposito visendi loca

1) Hier ist offenbar durch die Nachlässigkeit des Schreibers ein „C“ ausgelassen worden.

2) Caesar. Heisterbac. (ed. Strange) hat dem Schreiber zur Quelle gedient; denn I, S. 6 findet sich dieser Abschnitt fast wörtlich wieder. Auf der Bibliothek des Klosters waren um jene Zeit die Homelien Cäsar's im Manuscript vorhanden, wahrscheinlich auch der Dialog.

3) Spätere Zusätze im Contere oder am Rande, theils von der Hand des Chronikschreibers, theils von fremder Hand, haben wir durch schräge Schrift überall kennlich gemacht.

sancta in Jherusalem cum quibusdam fratribus secum assumptis iter arripuit. Quem nec beatus Bernardus in epistola ad eum scripta renocare potuit. Quapropter nulla eins memoria in cathalogo abbatum Morimundi fieri probatur. sicut in anniversario obitus aliorum abbatum die ex statuto ordinis fieri solet.

Anno domini M^o C^o XX^o. Premonstratensis ordo incepit per virum dei Norbertum postea Magdeburgensem archiepiscopum et habet cappas albas apertas. more habitus nouiciorum Cisterciensis ordinis.

Anno milleno centeno bis quoque deno.

Sub patre Norberto Premonstrati viget ordo.

De fundatione monasterii Campensis.

Anno itaque ab incarnatione domini millesimo centesimo vicesimo secundo (*presidente ecclesie Romane Calixto papa 11^o regnante in Romano imperio Henrico quarto II. kal. februarii*)¹⁾ reuerentissimus dominus fredericus archiepiscopus Coloniensis pro honore dei et domini cultus augmentatione a venerabili viro domino Arnulpho qui eo tempore monasterio Morimundi abbas laudabiliter prefuit. conuentum nouum duodecim monachorum cum abate terciodecimo. pro noua fundatione monasterii Campensis sibi transmitti postulauit et obtinuit. quos ita transmissos benigne suscipiens in palatio suo Colone tamdiu retinuit donec eis in episcopatu suo de loco competenti prouidit. Cuius prouisionis seu fundationis tenor sequitur et est talis²⁾. — — — Talis itaque ac tanta fuit donatio reuerendissimi

1) Diese Worte sind später auf dem Rande nachgetragen worden.

2) Hier folgt die bereits bei Miräus I, S. 275, Binterim und Mooren III, §. 88, und bei Lacomblet I, 297, abgedruckte Stiftungs-Urkunde, von deren Wiedergabe, trotz der mannigfachen Fehler, die sich bei den beiden erstgenannten Herausgebern vorfinden, hier abgesehen wird. Auch im Chronikon fehlt, wie bei den Herausgebern, der Schluß der Urkunde. Das Campener Copialbuch hat unter der Biblimerung dieser Urkunde noch folgende Notiz: „Anno ab incarnatione domini millesimo centesimo vicesimo secundo pridie kal. februarii presidente ecclesie romane Calixto papa secundo. regnante vero in romano imperio henrico quarto reuerendissimus dominus Fredericus archiepiscopus Coloniensis fundavit monasterium nostrum Campensi Cicerstiensis ordinis. Obiit vero anno domini millesimo centesimo trigesimo ipso die sanctorum crispini et crispiniani martirum in monasterio Sybergensi ordinis sancti benedicti sepultus.“ Die Erzählung vor der Urkunde stimmt fast wörtlich mit dem Chron. magn. Belg.

domini frederici Coloniensis archiepiscopi in fundatione primaria monasterii Campensis. Obiit vero anno domini millesimo centesimo tricesimo ipso die Crispini et Crispiniani martirum. Et in monasterio Sibergensi ordinis sancti Benedicti sepultus.

Successu vero temporum prefatum monasterium amplioribus possessionibus et priuilegiis ex concessione diuersorum pontificum. liberalitate et largitione principum. ac donatione fidelium domino prouidente dinoscitur sublimatum.

*Campe vetus, veteres dum te rexere parentes,
Tunc tua simplicitas digna fauore fuit.
Defunctos patres sequitur zelosa iuuentus,
Sub qua consurgit relligionis honos,
Disciplina decens rerum et custodia solers
Te facient celebrem iam mage quam fueras¹⁾.*

Anno M^oC^oXXII^o.

Primus abbas Campensis venerande memorie dominus Henricus cepit anno domini M^oC^oXXII^o et quindecim annis laudabiliter prefuit. *Obiit in festo annunciationis dominice 1137.* Iste fuisse dicitur frater germanus domini Arnoldi primi abbatis Morimundi, qui nimo desiderio et irrevocabili proposito visitandi loca sancta in iherusalem cura sui monasterii improuide derelicta cum aliquibus fratribus secum assumptis iter arripuit. vt superius dictum est.

1) Der Schrift nach stammen diese Verse aus dem 17. Jahrhundert. Auf einem eingehetzten Zettelchen stehen noch folgende, die ersten aus dem 16. Jahrhundert, die anderen aus dem Jahre 1622:

*Campe vetus, veteres dum te rexere scientes,
Norma boni salua, causa cuiusque fuit.
Defunctis patribus successit ceca iuuentus
Quorum consilii precipitata ruit
Disciplina decens et rerum copia multa
Hoc princeps patrie, mater honesta iacet.*

*Campe vetus, veteres dum te rexere parentes,
Norma piae simplex relligionis eras.
Defunctis patribus successit cauta iuuentus
Huius consilio stabis et auxilio
Disciplina decens rerumque inopia gnarum
Te facient Pater ut sis modo, qui fueras.*

Düx.

A primis igitur annis Cysterciensis ordo in Campo plantatus laudabilibus profecit virtutum incrementis. et numerositate personarum. Peruenit quoque fama sacre religionis ad aures principum et nobilium. qui missis legationibus petebant sibi ex eodem nouos fratrum conuentus transmitti pro construendis nouis abbatiis in terris et dominiis ipsorum. vnde factum est ut successu temporis plures emittentur conuentus de monasterio Campensi. de quibus postmodum vidi filios filiorum in multas generationes.

De fundatione monasterii in walkenreda.

Anno domini millesimo centesimo vicesimo octauo. XIII^o kal. februario fundata est abbatia de walkenreda in thuringia. moguntiensis dyocesis. filia nostra prima. Cuius primus abbas vocabatur Henricus.

Anno dom. m^o. c^o. v^o. o^o. XIII^o k. febr. f. est abbatia de walkenreda moguntinensis dyocesis ab honorabili et nobili matrona Adelheyde comitissa de Clettenbergh.

Quae ex divina inspiratione magnoque religionis desiderio cum decenti comitiua perrexit invisere loca sanctorum in Colonia et Aquisgrano atque in Nussya. Ibique constituta. vidit quosdam monachos Campenses in habitu religioso deuote incedentes. audiensque noue religionis famam per beatum Bernardum qui tempore illo multis miraculis claruit inchoatam. prefatum monasterium Campense deuote adiit. atque cum magno desiderio. nouum conuentum fratrum. pro fundatione monasterii instanter petiit et obtinuit. Quem in loco non procul a castro suo iuxta Harthonem in confinibus thuryngie et Saxonie collocauit. in loco qui dicitur walkenreda. Cuius primus abbas vocabatur Henricus.

De fundatione monasterii in volkolderode.

Anno domini millesimo centesimo XXXI^o VIII^o kal. octobris fundata est abbatia de wolkolderade in thuringia moguntinensis dyocesis filia nostra secunda. Eius primus abbas vocabatur Engelbertus.

Anno domini millesimo centesimo XXXI^o VIII^o kal. Octobris f. e. a. de volkolderade moguntinensis dyocesis in Thuringia. filia monasterii Campensis secunda. Cuius fundatrix extitit quedam illustris femina Helynburgis nomine. comitissa de progenie comitum de Glychen. habens castellum quondam in loco prefati

monasterii. vbi nunc ecclesia maior consistit. et in eodem castello erat capella sancti laurencii. Quam capellam cum castello. et adiacentibus bonis. primo dederat conuentui monachorum sancti petri nigri ordinis. Qui miserunt ibi aliquos monachos parvum tempore ibi manentes propter penuriam imminentem. Cumque illi pre nimia paupertate. ibi diutius manere non possent. resignauerunt locum predicte comitis. que tunc contulit eum abbati et monachis de Campo Cisterciensis ordinis cum castello et capella memoratis. Qui mittentes aliquos de fratribus suis. coperunt disponere locum ad modum claustrum siue monasterii. Quod videns predicta comitissa letabatur. et cepit de redditibus et expensis propriis edificare monasterium quod usque nunc manet deo conseruante. Cuius primus abbas dicebatur Engelbertus. cum novo conuentu de monasterio Campensi emissus. Vocatur autem idem monasterium Volcolderade. eo quod in nouali volkoldi sit constructum. qui volkoldus ibidem colonus terre fuerat. et extirpator silue. unde et monasterium partim a suo nomine. partim a suo labore vocabulum sumpsit.

De fundatione monasterii veteris montis.

Post hec anno domini millesimo centesimo XXXIII^o adhuc de Morimundo missus est nouus conuentus ad partes Reni pro fundatione abbatie de Bergis. que alio nomine vocabatur „vetus mons“. que disponente domino per venerabilem virum Euerardum fratrem germanum domini Adolphi eo tempore comitis montensis tali occasione fundata fuit. Ipse namque prefatus Euerardus adhuc seculo militans. in quodam bello grauiter in capite vulneratus. et ne caperetur aut occideretur fugam arripiens vix euasit. Vnde verecundiam concepiens mutato habitu. reicta domo. opibusque paternis. clam peregre prefectus. limina sanctorum apostolorum petri et pauli Rome sanctique Jacobi in Hispania. ac aliorum sanctorum ecclesias et memorias deuote visitauit. Tandem ad franciam deueniens in prefato monasterio Morimundi tanquam peregrinus et alterius nationis et lingue sancte conuersationis habitum in statu laicali obnixe petiuit et acceptum. Cui pro opere pascere porcos iniunctum fuit. Tandem interiecto aliquanto tempore. a duobus seruatoribus patris sui. qui per franciam transientes ad sanctum Egidium ex voto tendebant. casualliter in siluis pascens porcos inuentus et agnitus est. Qui statim

abbatem ipsius accedentes quis et qualis esset studiose indicauerunt. Quo auditio abbas et fratres monasterii mirati et gauisi fuerunt. Et quia doctus et literatus erat ablato priori habitu. ipsum in monachum vestierunt et totonderunt. Deinde domino disponente et fratre suo Adolpho comite instanti. cum nouo conuentu fratrum transmissus ad natale solum de parte patrimonii sui fundatum extitit monasterium veteris montis in comitatu montensi. non longe a Colonia¹⁾. Preterea inter Abbatiam Campensem et abbatiam Bergensem tam propter situationis vicinitatem. quam propter originis germanitatem ab omnibus semper perseverauit fraterna familiaritas et caritatiua communitas²⁾.

De fundatione monasterii Amelungesborne.

Anno domini millesimo centesimo XXXV^o fundata est Abbatia de Amelungesborne in Saxonia Hildensemensis dyocesis filia nostra tercia. cuius primus abbas vocabatur Henricus.

Hanc Abbatiam fundauit Sygefridus comes de Bomelborch in honore sanctissime dei genitricis marie et sancti pancracii martiris. Obtinuitque prefatus comes deuotis precibus a monasterio Campensi conuentum fratrum cum abbe XII^o kalendas decembris. Habetque idem monasterium vocabulum a quodam heremita quondam habitatore loci. et aqua adiacente. et dicitur quasi Ame- longi aqua. sc. Amelongesborn.

De grangiis Wylicka et Gumbretsheim.

Anno domini millesimo centesimo tricesimo septimo. duo nobiles Reinerus et Reymundus milites. seculum presens in maligno positum relinquentes et monachilem habitum in Campo assumentes. elegerunt magis deo seruire quam mammone. Quorum unus grangiam quam habemus in wylike et alter curiam que dicitur Gumbretsheim in conuersione sua nostre ecclesie Campensi vnanimi consensu absque aliquiu contradictione contulerunt³⁾.

1) Diese bekannte Erzählung ist aus der Chronik des Klosters Altenberg geschöpft und durch den Druck schon mehrfach bekannt. Vgl. auch Manrique Annales Cistercienses, I, 197. Lacombet, Archiv, III, 37.

2) Dieser Schlussatz findet sich ähnlich bei Miräus.

3) Vgl. Annal. des histor. Vereins I, S. 110.

M^o C^o XXXVII^o.

Secundus abbas Campensis Theodericus I. qui cepit anno millesimo centesimo XXXVII^o et prefuit vtiliter annis quadraginta. (*obit X^o kl. iunii sc. in die sancti desiderii martiris*)¹⁾.

Item eodem tempore quedam nobilis matrona nomine Godhildis et alii fideles donauerunt monasterio Campensi quedam bona in villa de Honepel. que modo in possessione non habemus.

Item eodem tempore habuit monasterium plura bona in Hangeslar prope Honepel et kalkar. de quibus pronunc nichil constat quamuis literas habemus. (eas adhuc habemus sed sine fructu)²⁾.

Anno domini millesimo centesimo tricesimo octauo quidam nobilis dictus Theodericus de Ulft donavit monasterio Campensi curtem magnam in Goterswick. quam nobis eodem tempore incorporauit et ratificauit Arnoldus archiepiscopus Coloniensis. sub litera et sigillo suo. Item sicut ex relatione seniorum nostrorum accepimus. temporibus angustie quam monasterium propter diuturnas et graues guerras de quibus postea habetur fuisse dampnificatum in multis milibus florenorum. predicta curtis cum sua capella et quibusdam reliquiis in capsula eburnea inclusis impignorata fuit a capitulo ecclesie Ressensis pro quadam summa pecuniarum. que certo et denominato die ante pulsum vesperarum. ipsis in sua ecclesia persolveretur. sub tali pena quod si tali tempore non solueretur. monasterium omni iure priuaretur. nec postea redimi deberet. Prefixo igitur solutionis die Campensibus cum prefatis pecuniis in Reno appropinquantibus Ressenses callide cogitantes pulsum vesperarum suarum anticipaverunt pulsantes secunda hora cum tamen antea tercia hora pulsare consueuerant et eos ita preoccupauerunt. Et ex hoc mote fuerunt lites inter vtrosque. que tamen postmodum per quandam compositionem fuerunt sopite³⁾.

Et sic pronunc nichil iuris in eadem habemus quamvis originalem literam de donatione prefata adhuc integrum et sanam habemus.

1) Späterer Nachtrag von anderer Hand.

2) Letzterer Zusatz gehört einem Nachtrage des 17. Jahrhunderts an. Die treffende Urkunde des Abtes Theoderich ist im Copialbuch vorhanden. Sie wird in den Campener Urkunden abgedruckt.

3) Am Rande steht die Bemerkung: Vacat. Bgl. Lacombi. N. II. I. 328.

Priuilegium Innocentii pape II.

Anno domini millesimo centesimo XXXIX^o Innocentius papa secundus ad quem beatus Bernardus plures scripsit epistolas confirmavit omnes possessiones et quecunque alia bona presentia et futura que monasterium Campense iuste possidet ex concessione pontificum. largitione regum. liberalitate principum. oblatione fidelium. seu aliis multis modis et specialiter bona in Gumbretshem Honepul Goterswick. Item vt dictus locus liber sit ab omni seruitute seculari et exactione. sicut fridericus archiepiscopus Coloniensis fundator monasterii constituit. Item vt pro generali parochie interdicto dictum monasterium a dominis cessare non teneatur. Item vt dictum monasterium nullus perturbare. aut eius possessiones auferre ablatas retinere. seu exactioribus fatigare audeat. contrarium faciens potestatis honorisque sui dignitate careat. et a corpore et sanguine domini alienus fiat¹). (*Huic bulle subscriptis ipse Innocentius et omnes cardinales sicut adhuc patet intuenti.*)²).

De fundatione monasterii Harswitehusen.

Anno domini millesimo centesimo XL^o fundata est abbatia de Harswitehusen in westphalia. paderburnensis dyocesis. filia nostra quarta.

Item monasterium de Harswitehusen fundauit recolende memorie. reuerendus dominus Bernardus de ozede episcopus ecclesie Paderbornensis. qui deuoto rogatu nouum conuentum de monasterio Campensi illuc adduxit. Cuius primus abbas vocabatur Daniel.

Circa idem tempus Abbatia Campensis locum in Aulesberch. qui alio nomine Heghena vocatur. accepit in possessionem.

De tribus conuentibus missis in Heghena.

Ad quem locum tres conuentus singillatim sibique succedentes sunt emissi de Campo. Quorum primus aliquamdiu moratus est in lombach. (*inde transiit Ryffenstein*)³).

1) Vgl. Lacombl. R. II. I, 332.

2) Späterer Busat.

3) Späterer Busat.

Secundus conuentus post habitationem in aulesburch siue Heghena moratur in lapide sancti michaelis. Tercius conuentus de Heghena rediit in Campum. Ad vltimum vero anno domini M^o C^o LXXXVIII missus est ibidem conuentus de Bergis siue veteri monte qui ibi permansit (*et profecit*)¹⁾.

Anno domini 1140 cepit ordo sancti Johannis Jherosolmitani tempore honorii pape II. a venerabili viro Raymundo maxime operibus dedito. Et valde creuit ordo ille. Et vovent se pauperibus seruituros. Iste ordo successit templariorum qui cepit anno M^oXCVIII^o et deletus fuit propter certas abominationes anno M^o CCCVII^o et habuerunt statuta siue regulas a beato Bernardo conscripta que modo seruat ordo sancti Johannis.

De fundatione lapidis sancti michaelis.

Anno domini millesimo centesimo quadragesimo sexto fundata est Abbatia de lapide sancti michaelis in Saxonia Halberstadensis dyocesis filia nostra quinta.

Nouerint tam presentes quam futuri. Quod conuentus qui edificauit monasterium lapidis sancti michaelis Halberstadensis dyocesis in Saxonia. primo directus fuit ad Hessoniam siue Hassyam. ad locum qui Aulesborch et alio nomine Heghena dicitur. deuenit. In quo a comite poppone et sua uxore Bertha a quibus fuerant inuitati. et eorum amicis satis liberaliter sunt suscepti. et aliquantum temporis in eodem statu pertransiit. Sed secus quam sperauerant euenit. Siquidem sicut ait euangelista. Omnis homo primum bonum vinum ponit etc. sic itaque comes iste. homo cum esset. bona proposuit. bona spopondit. que nec finetenus tenere potuit. vel voluit. Per decennium itaque multis incommoditabus in predicto loco a monachis est laboratum. nec in spe. nec in re aliqua melioratio est subsecuta. Ea propter locum deserere compulsi sunt et sibi commodam habitationem inquirere. Et prefatus comes possessiunculas eiusdem monasterii. suo iuri mancipauit. et monachos cum solo simplici vestitu abire permisit. Quia ergo nichil vehicularum aut iumentorum ipsis concessum est. cum tamen plus quam quinquaginta persone diuerse etatis essent. claudi miserabiliter

1) Späterer Busäß.

incedebant, ceci ducatum querebant. senes imbecillitatem suam baculo sustentabant. iuniores et vegetatiores sub mole vestium graniter desudabant. omnes simul docti et indocti locum predictum relinquebant. Hessonie deinde fines transientes. thuryngiam peruenient. quid aduersitatis ipsis in via occurrit cum cauma eset non est facili dictu. Tandem ad monasterium Walkenreyda peruererunt. vbi per triduum a domino Henrico abate retenti sunt et humane pro caritate recreati. Nec eos sine consolatione abire permisit. sed centum vlnas panni in commune omnibus dedit. insuper unicuique ciphum regularis mensure tradidit. Erant enim et est predictum in numero plusquam quinquaginta. cum abbe no nomine Rutghero. Sicque profecti Saxoniam intrauerunt. transito nemore quod vulgo Hart vocatur ad locum venerunt sibi determinatum. quem antea multi religiosi inhabitauerant. qui mons volmanni dicitur. Sed tunc mediante domina Beatrice abbatissa Quedelingburgensis ecclesie. ob eterne recompensationis gratiam monachis Campensibus Cysterciensis ordinis est donatus et confirmatus ad inhabitandum et deo sub monastica et regulari disciplina seruendum. Sed quia predictus locus in monte volmanni. alio nomine dictus lapis sancti michaelis in quem primum congregatio illa monachorum locata fuit. non monachorum. sed heremitarum habitationi congruit. vti quilibet discretus perspicere potest. Congregatio enim vel conuentus ex magnis et paruis constat. robustis et imbecillis. vnde loci habitudinem in quo edificia et cetera usui necessaria haberi possunt requirit. que nullo modo in tam arto et horribili monte haberi possunt. vti in presenti cernitur. Siquidem per quindecim annos ibi manserunt. et multis lapsibus tam iuuenes quam senes in ascensu et descensu montis se ipsos attriuerunt. Cum ergo in multis locis templatum sit. et non aptus locus inueniretur. et multi mutationem loci suggererent. tandem religiosorum et prudentium atque magnatorum consilio cum consensu prenominate domine Adelheidis abbatisse sub cuius ditione locus erat ad inferiora montis in loco eiusdem ville sepeditus conuentus monachorum translatus est. Antea tamen predicto loco quem nunc inhabitant debite circumsepto. et edificis necessariis per annum preparatis¹⁾.

1) Nachtrag von der Hand des Chronistreibers.

Et fuit eo tempore magna sterilitas ita ut maldrum siliginis in Colonia venderetur marca argenti.

Anno domini M^o C^o XLIII^o presidente sanctissimo papa Innocentio II. regnante lothario facta est processio sollempnis in leodio. in ecclesia sancti martini et apud ecclesiam maiorem. In qua contigerunt que sequuntur. Nam dominus papa missam celebrauit. deinde sanctus Bernardus abbas Clareuallis ibidem predicauit. Item prefatus dominus papa predictum lotharium in Romanorum imperatorem coronauit. fertur quod hec processio fuit dominica letare. Hys temporibus erant leodii in ecclesia sancti lamberti subscripte persone dignitates et beneficia obtinentes. videlicet octo legitimi filii regum. viginti quatuor filii ducum. viginti novem filii comitum. septem filii baronum et nobilium. ex quibus alii erant abbates. alii archydyaconi. alii prepositi. alii decani. alii thesaurarii. alii simplices canonici. Item prefatus lotharius beatum Bernardum in maxima reuerentia habuit et alios viros religiosos. quorum etiam meritis magnas victorias se gloriabatur obtinuisse.

De quibusdam miraculis sancti Bernardi in presentia abbatis Campensis.

Anno domini millesimo centesimo quadragesimo septimo in festo sancti Pauli primi heremite. et tribus diebus sequentibus. beatus pater Bernardus fecit in Colonia plura miracula presente abbatte Campensi per virtutem namque domini nostri ihesu christi e eos illuminauit. claudos erexit. surdis auditum reddidit. linguas mutorum soluit. et diuersa morborum genera sanauit. Deinde in monasterio bruwylre et per totam viam vsque ad Aquisgranum sicut in vita et libris miraculorum eius plenius scriptum habetur.

Anno domini 1149 beatus Malachias ex hybernia episcopus in Claraualle defunctus est. Eius vitam beatus Bernardus descripsit. Et eodem anno visio tondali militis hyberniensis facta est. Visiones sancte Elizabeth hoc tempore facte fuerunt. Et sancte Hyldegardis monialis.

De priuilegio Eugenii III.

Anno domini millesimo centesimo quinquagesimo primo Eugenius papa tercius. ad quem beatus Bernardus scripsit libros de consideratione.

monasterium Campense suscepit sub protectionem sedis apostolice. vt monasticus ordo ibi in perpetuum obsernetur. Et vt bona monasterii et specialiter in bulla expressa in perpetuum maneant illibata. Item quod de laboribus quos propriis manibus excolimus aut sumptibus ac de punctionibus et nutrimentis animalium decimas non soluamus etc. vt in priuilegio precedenti. Huic bulle subscrispsit ipse Eugenius cum cardinalibus¹⁾.

De obitu sancti Bernardi.

Tandem anno domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio beatus pater Bernardus. iam ordine Cystercensi vbique dilatato. et amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater existens. regiminis sui anno XXXVIII^o consummatis feliciter vite sue annis sexaginta et tribus. XIII^o kls. Septembris migravit ad dominum.

De vinea quadam que dicitur sancti Bernardi abbatis.

Monachus quidam nomine Chrispianus sub beato Bernardo plantauit vineam in vertice montis. qui est proximus Clarenualli. Et venerunt fratres germani venerabilis patris Guido scil. et Gerardus et excommunicauerunt predictam vineam. dixeruntque chrispiano. frater chrispiane. vbi est mens tua? et vbi cor tuum? Quare non considerasti scripturam dicentem quam (?) vinum non est monachorum. At ille respondit. Vos fratres spirituales estis et bibere vinum non vultis. ego peccator sum et volo bibere vinum. Tunc dixit sanctus Gerardus prefatus. Dico tibi frater chrispiane. Non videbis fructum eius. Post hec verba reuersi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fudit et excoluit multis temporibus. denique mortuus est. et non vedit fructum eius. Post multum vero temporis venit alter custos vinee ad sanctum Bernardum et dixit ei. pater venerande nunc vinea nostra anathema est. nec potest facere fructum. At ille. Quare fili? Respondit fratres tui excommunicauerunt eam et deinceps fructum non fecit. Tunc sanctus pater. Afferte inquit mihi aquam in pelui. Ac ille obtulit ei. Tunc vir sanctus fecit signum crucis et sanctificauit aquam et ait. vade fili et asperge per totam vineam. Recessit frater et fecit iuxta preceptum patris abbatis. et vinea

1) Vgl. die aus dem Copiar mitgetheilte Urkunde.
Annalen des hist. Vereins. 20. Hft.

creuit et multiplicata est. ita (vt?) videntes mirarentur. De cuius primo fructu fertur beatus Bernardus maximum vas miraculose repleuisse¹⁾.

Anno domini M^oCLXIII^o translati fuerunt sancti tres reges de Mediolano in Coloniam per Reynaldum archiepiscopum colonensem.

Gracianus monachus decretum compilauit et a beato Eugenio papa III. ad quem beatus Bernardus scripsit libros de consideratione approbatur.

Petrus Lombardus episcopus parisiensis frater Graciani libros sentenciarum edidit.

Petrus comestor frater Graciani et Petri Lombardi scolasticam hystoriam composuit et alia.

De ordine wilhelmitarum.

Eodem tempore wilhelmus heremita sanctissimus claruit. olim dux Aquitanie et comes Pictaue. Hic primum scismaticus fuit contra ecclesiam Romanam. Sed a beato Bernardo abbe cum venerabili sacramento territus fuit et conuersus. Postea loricam super nudo vestitur. Et ab isto originem traxit ordo wilhelmitarum. Anno 1173.

Eodem tempore sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus de ordine Cisterciensium martirizatur in Anglia. multis clarus miraculis sc. Anno domini 1171.

Eodem tempore sanctus Bernardus abbas Clareuallis canonizatur per papam Alexandrum tercium et propter concursum populi prohibuit abbas Cysterii ne plura miracula faceret. et obediuit mortuus.

1) Diese Legende, aus dem *Anonymous Gallus* gefäßt, findet sich mit einigen unwesentlichen Abweichungen auch noch auf einem anderen Bittel vor. Im Schluß weicht dieser etwas ab, denn er hat statt des letzten Satzes: Item propter hanc rationem sanctus Bernardus precepit fieri vas magnum vinarium habens viginti pedes in altitudine siue profunditate et triginta pedes in longitudine quod ex uno botro primitiarum illius vinee manibus sancti patris espresso miraculose repletum fuit, sicut legitur de oleo helisei quod modice infusum pluribus tunc quis vasis excreuit in ipsis usque ad plenum unde propter tale miraculum predictum vas adhuc in hodiernum diem seruatur inesse. Et anno 1484 fuit repletum de nouo vino illius anni.

M^oC^oLXXVII^o.

Tercius abbas Campensis Gierardus primus cepit anno millesimo centesimo septuagesimo septimo et prefuit annis VII. (*Obiit III^o Nonas marci*)¹⁾.

M^oC^oLXXXIV^o.

Quartus abbas Campensis Gherardus primus. cepit anno domini millesimo centesimo octogesimo quarto et prefuit annis viginti. (*Obiit in die katherine virginis.*)

Sub isto venerabili abate valde creuit monasterium Campense in agris vineis et edificiis. ac redditibus tam emptis quam gratis acceptis. Multa debita inuenit que soluit et abundantiam reliquit. Viginti monachos inuenit et XLIX dimisit.

Anno 1188 obiit sancta Hyldegundis que a patibulo miraculose fuit liberata. et postea in Sconaugiensi monasterio Cisterciensis ordinis inter monachos in virili habitu religiosissime conservata fuit²).

De bonis dictis hoen donatis a comite Cliuensi.

Anno domini millesimo centesimo octuagesimo octauo Theodericus comes cliuensis vna cum matre sua Aleyde et fratre suo Arnaldo donauit et contulit monasterio campensi insulam inter Ressam opidum et wysschelam villam in alueo Rheni coniectam. que vulgariter dicitur hoen cum appendiciis. terris cultis et incultis. aquis ac decimis. et quidquid in eadem utilitatis in posterum prouenire poterit. Consentiente in hoc domino Philippo archiepiscopo Coloniensi qui ius sibi in eadem insula vendicare voluerat. sicut litere desuper confecte latius ostendunt³). In ipsa insula consuevit monasterium habere singulis annis libere vltra expensas. mille et ducenta maldra bladi diuersi generis. Et ibidem nutrire consueuerunt mille et trecentas oves et vltra preter vaccas et alia animalia. Ex quibus tam in carnibus quam in caseis et lana. magna dietim venerunt emolumenta. Et eciam de diuersis aliis prouentibus recipere solebant ad valorem centum scudatorum aureorum. Et hec insula per inundationem et impetum Reni destruta fuit et quodam modo absorpta

1) Späterer Bischof.

2) Vgl. Cösar. v. Heisterbach. Dial. mirac. I, 40.

3) Vgl. Lacombi. Urk.-B. I, 510, 511.

circa annum domini millesimum trecentesimum XII^m sicut infra habetur (*de XV^o abbate*)¹⁾.

Ex antiquo registro.

Istorum bonorum ad monasterium spectat iurisdictio temporaliuum seu iudicium sanguinis. sed est commissum domino de honepol ea condicione quod possumus illud ad nos quam voluntarim reuocare. et nostram de illo voluntatem ordinare.

De quibusdam pitanciis.

Item prefata Aleydis comitissa de Clino contulit eciam monasterio Campensi de peculio suo multa bona precipue certos annuos redditus ut inde conuentus habeat pitancias in pane triticeo vino et piscibus hiis diebus. videlicet in cena domini. vigilia pasche die pasche et duobus diebus sequentibus. Similiter in die nativitatis christi et duobus diebus sequentibus. Et istarum pitanciarum et seruitorum redditus comparati fuerunt in Ouwenhem et in quadam vinea in wyse prope Confluentiam²⁾.

De capella veteris abbattie.

Insper capellam sancti Johannis euangeliste. sanctique Seruati dotauit. ac dedit calicem. indumenta sacerdotalia. altaris ornamenta ceteraque necessaria. quatenus eius memoria. patrisque sui Geuehardi comitis et filii eius comitis Theoderici perpetuo habeatur. Obiit vero anno domini millesimo centesimo octuagesimo nono³⁾.

De ordine Theutonicorum militum.

Anno 1190 cepit ordo Theutonicorum militum sub henrico imperatore. et habuit ortum ex ordine sancti Johannis iherosolimitani.

De translatione martiris sine nomine.

Item prefatus Philippus Coloniensis archiepiscopus. transtulit de xanetis ad monasterium Campense corpus incliti martiris sine nomine de sacra legione thebeorum ex societate sancti victoris inuentum in

1) Späterer Zusatz.

2) Lacobl. I, 515. Die Güter in Ouwenheim, 20 Morgen, wurden 1195 mit dem kölnischen Dompropste Ludwig vertauscht gegen Güter in Hüdelhofen.

3) Beachtenswerthe Notizen über das Clever Grafengeschlecht.

ecclesia xantensi in purpura et calcii amputata summitate capitinis.
et fluccellis sanguinis eius. adhuc in monumento apparentibus. Cuius
festum agitur XVI^o kls. maii. Obiit vero idem archiepiscopus phi-
lippus anno domini millesimo centesimo XCVI^o.

De conuersione cuiusdam canonici Coloniensis.

*Circa hec tempora quidam nobilis adolescens adolphus nomine
Canonicus maioris ecclesie coloniensis cum quodam tempore ad
monasterium Campense venisset videns deuotionem fratrum et
quam sollicite et deuote quodam die in ecclesia nudabant dorsa
sua ad suscipiendas disciplinas. compunctus corde abire non po-
terat sed seculi pompam contempnens sacrum ordinis habitum
suscepit. In quo tantum profecit. vt non multo post tum propter
generis nobilitatem. tum propter religiositatem in ecclesia Osen-
burgensi ad dignitatem eligeretur episcopalem. Obiit in vigilia
apostolorum petri et pauli¹⁾.*

Anno domini millesimo centesimo XCV^o Henricus comes Seynen-
sis donavit monasterio Campensi quedam bona in Ouwenheim²⁾.

Anno 1197 dominus Petrus Cantor parisiensis postea mon-
achus monasterii longi pontis Cisterciensis ordinis tam vita quam
doctrina conspicuus in magna deuotione migravit a seculo.

Anno domini 1197 cepit ordo sancte trinitatis pro redemptione
captiuorum.

Anno domini 1199 dominus wylhelmus abbas monasterii de
karoli loco in Byturiensem archiepiscopum eligitur. qui nobilis
genere fuit. sed virtute et sanctitate nobilior miraculis claruit in
vita pariter et post mortem. quem honorius papa III. sollemp-
niter canonizauit.

De quadam graui exactione.

Anno domini 1199 tempore venerabilis domini Guidonis ab-
batis Cisterci postea Remensis archiepiscopi dominus papa gra-
uem exactiōem imposuerat super ordinem Cisterciensem. videlicet
quod daret quinquagesimam partem omnium bonorum ad sub-
sidium terre Jerosolimitane. Sed ab ista graui tribulatione per

1) Vgl. Cäsar. v. Heisterb. I, 22.

2) Vgl. die aus dem Copiar mitgetheilte Urkunde und Lacombl. II, 68.

*intercessionem beatissime virginis marie specialis patronae et ad-
uocate ordinis nostri atque per sanctum Bernardum fuit ordo
misericorditer liberatus atque in libertatibus prius sibi a summis
pontificibus. imperatoribus. regibus ac principibus concessis per-
mansit. sicut in quadam reuelatione legitur^{1).}*

M^o CC^o III^o.

Quintus abbas Campensis Theodericus II. cepit anno domini M^o
ducentesimo quarto. et prefuit anno vno cum dimidio. *Obiit*
XIIII. kl. aprilis.

Anno domini M^o CC^o III^o Johannes archiepiscopus Treverensis
libertauit monasterio Campensi curtem in wyse cum vineis prope
Confluentiam.

MCCVI.

Sextus abbas Campensis Gerlacus I. cepit anno domini M^o
centesimo sexto. et prefuit XIII annis et IX mensibus. *Obiit*
yalibus octobris.

Anno domini 1207 heresis Albiensis feruebat. XII. abbates
Cisterciensis ordinis a papa Innocentio missi sunt ad predican-
dum et eos ad unitatem catholice fidei reducendum.

Eodem tempore floruit Helynandus monachus frigidi montis
Cisterciensis ordinis. vir religiosus et facundia disertus. qui
multa utilia conscripsit. Ipse etiam Cronicam ab inicio mundi
vsque ad sua tempora digessit^{2).}

Eodem tempore dominus Gaufredus Siluanectensis episcopus.
relicto episcopatu Cisterciensem ordinem acceptauit in monasterio
karoli loci^{3).}

De quatuor ordinibus mendicantium.

Anno domini M^o ducentesimo VIII^o cepit ordo predicatorum.
Anno 1212 cepit ordo minorum.

Circa idem tempus cepit ordo heremitarum sancti Augustini.
Et prescriptos quatuor ordines mendicantium confirmauit Hen-
norius papa III.

Anno domini 1220 cepit ordo Carmelitarum.

1) Vgl. Manrique, Bb. III, ad a. 1197 und 1200.

2) Diese Stelle ist dem Vincenz von Beauvais entlehnt.

3) Charieu in Frankreich.

Privilegium Innocentii pape tertii pro monasterio campensi.

Anno domini millesimo ducentesimo XIII^o Innocentius papa tercii monasterium Campense sub protectionem sedis apostolice suscepit. eum omnibus bonis que iuste possidet. Et ut monasticus ordo ibidem obseruetur secundum institutionem regule sancti benedicti. Item quod nullus professus ordinis de monasterio eodem recedat sine licentia abbatis et sic recendentem nullus sine cautione literarum audeat retinere etc. Item quod in causis propriis nobis liceat testi moniis fratrum nostrorum vti. Item si episcopus ordinarius requi situs abbatem benedicere et alia officia episcopalalia conferre rennuerit. abbas tamen non benedictus officia abbatis exercere poterit. Et ab alio episcopo percipere poterit que a proprio fuerint denegata. Et quod episcopi sint contenti in professionibus abbatum ea forma que ab origine ordinis noscitur instituta etc. Item quod nulli ecclesiastici prelati. in monasterium nostrum vel in personas. et benefactores nostros. vel nobis laborantes illis diebus quibus nos laboramus et alii feriantur. suspensionis. interdicti sententiam promulgare valeant. Item quod nobis liceat in monasterio nostro. quum commune interdictum terre fuerit. excommunicatis et interdictis exclusis. diuina celebrare. Item quod nullus infra clausuras locorum aut grangiarum nostrarum audeat violentiam exercere aut rapinam. Item confirmatio omnium libertatum. exemptionum secularium exactiōnum. immunitatum a Romanis pontificibus regibus et principibus et aliis christifidelibus nobis fauorabiliter indultarum et plura alia que patet per legenti. huic priuilegio subscrispsit ipse Innocentius cum Cardinalibus¹⁾.

De fundatione monasteriorum Eppynchouen et Sarne.

Anno domini M^oCC^oXIII^o fundata est abbatia monialium dicta Aula sancte marie in Karlesforst²⁾. que postmodum translata est in locum qui vocatur Eppynchouen. Eodem tempore vel paulo ante fundata est abbatia monialium dicta Aula sancte marie in Sarne. Item cimiterium in monasterio Sarne consecrauit Engelbertus Coloniensis archiepiscopus et martir. vt patet in quadam litera.

1) Die Urkunde ist theilweise abgedruckt bei Lacombi. II, 45.

2) Karß bei Neuß.

Ista fuisse putantur prima monasteria monialium monasterio Campensi incorporata et regimini et visitationi abbatis commissa. Et ex istis monasteriis processu temporis plura deriuata sunt monasteria monialium¹⁾.

De grangia Ouwenhem²⁾.

Anno domini M^oCC^oXVII^o Henricus comes Seynensis donauit monasterio quedam bona in Ouwenhem. Et circa idem tempus bona curtis Ouwenhem ampliata fuerunt tam emptionibus quam donationibus fidelium³⁾. Eodem anno sc. 1217 empta fuerunt bona in ymmenhouen apud curtem ouwenhem. a quodam wernero. que quidem bona domina Gerbergis abbatissa sancte marie in Capitolio Coloniensi eodem tempore libertauit a iure feodali sibi in prefatis bonis debito. Et dominus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis hec ratificauit vt patet in literis desuper confectis⁴⁾.

MCCXVIII^o.

Septimus abbas Campensis Johannes cepit anno domini M^o ducentesimo XVIII^o et prefuit annis quatuor et duobus mensibus. *Obitum XV. kl. aprilis.*

De fundatione monasterii in Ruremunda.

Anno domini M^o ducentesimo XVIII^o fundata est abbatia monialium sancte Marie in opido Ruremunde per Gerardum comitem gelrensem sollicitante venerabili domina *Richarde prima abbatissa monasterii in Ruremonde.* que illic moniales alias pro noua institutione direxit. et ad instantiam venerabilis Engelberti archiepiscopi Coloniensis ordini incorporata et visitationi abbatis Campensis commissa. Et in eodem monasterio domina Richardis mater predicti comitis vidua facta ordinem Cisterciensem acceptauit et prima abbatissa illic fuit.

Anno domini 1220 cepit ordo sancte marie de monte Carmelo.

Anno domini M^o ducentesimo XXII^o abbas sancti Cornelii Indensis libertauit monasterio Campensi quedam bona in Ouwenhem

1) Vgl. Lacombi. II, 216.

2) Auenheim.

3) Lacombi. II, 68.

4) Vgl. die später folgenden Campener Urkunden.

iure feodali et in eadem litera habetur (*et adhuc in praesenti ius illud sibi competere sustinere volunt*)¹⁾ de confraternitate inter monasterium sancti Cornelii et monasterium Campense perpetue seruanda.

De monasterio Honepa postea Horst.

Circa annum domini millesimum ducentesimum vicesimum tertium sicut seniorum relatione cognouimus. abbatissa et conuentus monasterii in Honepol situati iuxta parrochiale ecclesiam ordinis sancti Benedicti transtulerunt se ad ordinem Cysterciensem ac eciam certis ex causis monasterium suum in Honepol deserentes. transmigraverunt apud Dauentriam et in loco solitario dicto Horst monasterium construxerunt. quatenus ibi domino secretius in ordinis obseruantia deseruirent. Sed istud monasterium postea circa annum domini 1253 ex toto fuit combustum et desolatum sic ut vix videbatur posse reedificari. Eodem tempore disponente domino. et sollicitantibus quibusdam christifidelibus. Godefridus abbas et conuentus monasterii Sigebergensis. ordinis sancti Benedicti. cum consensu Conradi archiepiscopi Coloniensis mediante certo contractu. abbatisse et conuentui de horst predictis tradidit monasterium siue preposituram in monte iuxta xanctis dictum vurstebergh. perpetuo possidendum. reuocato domino Richwino preposito eiusdem loci. cum aliis monachis secum commorantibus et ab eo tempore quedam moniales de predicto monasterio Horst venientes vurstebergh inhabitauerunt. Monasterium tamen Horst eodem tempore deo prouidente per episcopum traiectensem et alias fideles extitit reedificatum non tamen in loco Horst. sed prope in alio loco. qui iam vulgariter dicitur Honepa. Ex eo quod predicte moniales quondam in Honepol monasterium habuerant. Et fuit Conuentus de Horst diuisus ad vtraque monasteria. Item in ecclesia parochiali Honepol remenserat (?) dispositio chori cum aliis pluribus certis iudiciis monasterii prefati. usque ad annum domini 1442 quum prefata ecclesia fuit pro magna parte renouata et instaurata.

1) Dieser Zusatz aus dem 18. Jahrhundert scheint eine Zeile zu spät eingerückt zu sein.

MCCXXIII^o.

Octauus abbas Campensis Arnoldus I. cepit anno domini M^o ducentesimo XXIII^o et prefuit annis XII. Iste vocatus de monasterio suo Campensi electus fuit in abbatem Morimundi. Et quia ibidem abbas obiit propterea eius memoria apud nos in martilogio non pronunciatur¹⁾. *Obiit in Morimundo ultima februarii anno.*

De priuilegiis Engelberti Coloniensis archiepiscopi

Anno domini M^o ducentesimo XXIII^o venerabilis Engelbertus Coloniensis archiepiscopus gracie concessit vt coloni nostri habeant ius communitatis in siluis. pratis. pascuis et locis palustribus adiacentibus.

Eodem anno idem archiepiscopus suscepit grangias nostras in protectionem suam et ne quis communia nostra in agros conuertat vel in eis nouas edificationes faciat²⁾.

Anno domini 1224 prepositus et capitulares ecclesie sancti victoris xanctensis tempore Engelberti archiepiscopi remiserunt nobis decimas in Campo inferiori. videlicet Altvelt. ipsis quondam a friterico colonensi archiepiscopo fundatore nostro concessas.

De bonis in Euersael³⁾.

Anno domini M^o ducentesimo XXV^o empta fuerunt plura bona in Euersael a diuersis venditoribus. Maior vero et principalis grangia in euersael comparata fuit ab Hermanno marscalco de Alfteren. Item eodem anno empta fuerunt decime in Husen. Rubergh et pro parte in Orsay quas nobis prefatus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis cum consensu Capituli maioris ecclesie Coloniensis larga donatione liberas concessit et in perpetuum confirmauit possidendas⁴⁾.

1) Die Annall. Cistere. von Mainz, I, S. 521, bringen von ihm nur die kurze Notiz, daß er ein Deutscher gewesen, sechs Monate als Abt in Morimund fungirt und im dortigen Capitel begraben sei.

2) Binterim und Mooren, III, 73 und 74.

3) Eversaal bei Rheinberg.

4) Binterim und Mooren, IV, 244. Husen bei Büderich, Ruberg, in der Nähe von Orsay. Unter den Zeugen fehlt in diesem Abdruck noch: Bruno prepositus sancti Kuniberti. Henricus prepositus.

De mirabili fundatione monasterii nostri ad sanctum Seruatium
in Traiecto inferiori.

Anno domini millesimo ducentesimo XXV^o temporibus domini Honorii pape tertii. et frederici secundi imperatoris et Ottonis de lippia episcopi Traiectensis. qui occisus est cum multis vasallis et ministerialibus in Couordia. moniales sancti Servatii in Traiecto mutauerunt nigrum habitum in griseum. Iste nigre moniales prius erant habitantes extra ciuitatem in campo iuxta pontem et villam que dicitur Abstade. Eo tempore erat vir quidam habitans cum vxore sua in fine ciuitatis traiectensis. vbi nunc predicte moniales habitant. cuius vxor summo mane exurgens et ortum (hortum) suum intrans repperit quandam virum prouecte etatis valde speciosum sub arbore quadam stantem qui eandem salutauit. Quem predicta mulier quasi increpando interrogauit. quid quereret. aut cur ortum suum ingressus fuisset. Cui ille. Ego ad hoc veni. vt locum istum perspicarem et compararem. Quo audito. mulier currens vocauit virum suum. Quem prefatus senex videns nomine suo salutauit. Post hec vir interrogauit. quid quereret aut cur ortum intrasset. Cui ille: Ad comparandum locum istum huc veni. Ad quem ortulanus: Possessio nostra adhuc venalis non est. vel alicui eam vendere volumus vel possumus. Cui senex: Si vendere hanc predictam possessionem michi volueritis. decem libras denariorum et vitam eternam tibi et vxori tue et filiis tuis promitto. Ad hanc vocem ortulanus multum exhilaratus. ac vehementer ammirans ait: Dic quod est nomen tuum? Cui ille: Si scire vis nomen meum Seruatius nuncupor. capellanus supradictarum monialium in Campo. prope Traiectum commorantium. Ad quem vir: Nunquam noui capellanum earundem monialium. tali nomine nuncupatum. Cui ille: Ego certissime ad vsus monialium sepedictarum huc veni. vt hodierna die faciam vos decem libras habere et post huius vite finem vitam eternam possidere. Cui vir: Pro vita eterna habenda. predictas possessiones meas libenti animo vendo. Ad quam vocem vir sanctus eleuata manu sua dextera. signum crucis faciens. benedixit locum illum dicens: Benedictus sit locus iste a domino deo forti in perpetuum. Et omnium quorum corpora hoc in loco fuerint humata. anime ipsorum ab eterna damnatione erepte in die iudicii saluabuntur. Hys dictis disparuit. et in arbore sub qua steterat. figuram sui corporis mani-

festissime impressam reliquit. Post in ipso momento ad sepedictas moniales vir ire cepit. et conuocans abbatissam. omnia que acta sunt ei per ordinem enarravit. Que ultra quam credi potest ammirans. beatum Seruatium tam preclari miraculi auctorem prenoscens. magna cum exultatione ipsum in patronum cum suis subditis gaudenti animo suscepit. Eodem vero die quo hec acta sunt. paululum ante huius predicti viri aduentum. homo quidam de zelandia adueniens. predictis monialibus decem libras denariorum pro remedio animarum patris et matris sue ipso anno defunctorum in elemosinam contulit. Quas sepedicto viro pro venditione possessionis sue confestim conferre non distulit. Ipse vero pecunia accepta sine mora civitatem ingressus. huius rei eventum. tam ecclesie quam omnibus manifestare cepit. Quibus auditis. dominus otto de lippia natus. traiectensis episcopus cum clericis et laicis perpluribus locum adiens. ymaginem beati Servacii in arbore sub qua stationem fecerat perlucide impressam inuenit. Qui mox habitationem predictarum monialium in locum a deo ac beato Servacio tam manifeste benedictum suis propriis expensis transferri iussit. Ipse vero moniales ad consilium domini Ottonis de lippia traiectensis episcopi mutauerunt ut supradictum est nigrum habitum in griseum Cisterciensis ordinis. sub domina vlynde abbatissa protunc minime consentiente. et se ad alium locum transferente. Mortuo igitur domino Ottone de lippia. episcopo traiectensi. successit dominus willibrandus de Aldenbergh in episcopatu. Qui pro tam salubri benedictione. predicto loco monialium tam manifeste collata. ardentи desiderio erga beatum Seruatium accensus. primarium lapidem eiusdem ecclesie posuit. Allodium etiam quod Galghewerde nuncupatur perpetuo iure possidendum tradidit. Ecclesiam etiam de werkanden et capellam de Odike insimil contulit. Et antedictam ecclesiam cum monasterio in honore sancti Servacii episcopi dedicauit. Qui etiam pro tam publica benedictione apud predictum monasterium sancti Servacii cum pluribus nobilibus sepulturam elegit.

Priuilegium Henrici imperatoris.

Anno domini M^o ducentesimo XXV^o Henricus imperator ad petitionem sepedicti domini Engelberti archiepiscopi Coloniensis indulxit monasterio Campensi graciam et licentiam. quatenus quascunque possessiones in agris videlicet et vineis. pratis. siluis. aquis. stagnis.

paseuis. terris cultis et incultis a fidelibus imperii. titulo donationis. emptionis seu concambii obtainuerint. sine omni prorsus contradictione. anuctoritate imperii possideat. Actum anno domini MCC^o XV^o ¹⁾.

De martirio sancti Engelberti.

Et eodem anno VII^o die Nouembris prefatus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis pro iuribus ecclesiasticis defendendis. ab impiis crudeliter occisus. martirio coronatus est. atque post mortem pluribus claruit miraculis.

De priuilegiis comitum Gelrie.

Anno domini M^oCC^o XXVIII^o Gherardus comes Gelrensis fundator monasterii sancte marie in Ruremonda ciuitate dedit monasterio Campensi libertatem in theloneo. Lobede. de centum vasis vini et quinque. de corio duorum last. de centenario salis et dimidio. de allec duorum last. et de decem amis Buturi siue per naues monasterii proprias siue alienas. ea conditione. quod per abbatem ministretur conuentui per quatuor festos dies pentecostes. de vino Renensi. piscibus recentibus et pane. in memoriam sui et vxoris ac heredum suorum.

De libertate bonorum in Gelrelant.

Anno domini M^oCC^o XXX^o Otto comes Gelrensis filius Gherardi comitis ad honorem auie sue Rychardis. prime abbatisse monasterii sancte marie Ruremondensis libertauit bona monasterii dicta Holt-husen in Gelrelant cum suis attinentiis. et alia bona. que tunc habuit monasterium absoluti. ab omni seruitio et exactione ac iure sibi et suis heredibus attinentibus.

De bonis quondam in Cutze in Slavia prope Rostock.

Anno domini M^oCC^o XXXIII^o illustris princeps dominus Nycolaus dominus de Rozstoc donauit monasterio Campensi pro remedio anime sue et antecessorum suorum quinquaginta mansos terre in Slavia cum stagno adiacente dicto Cutze. cum pratis nemoribus et omnibus attinentiis. Item Brummardus episcopus Suerinensis et Wylhelmus

¹⁾ Sacombl. II, 127.

episcopus Haelbergensis prefata bona libertauerunt a solutione decimarum. Ista bona de Cutze vendita fuerunt. consulatu civitatis Wystock pro nongentis florenis aureis Renensibus. Anno domini 1436 pro quibus comparata fuerunt bona et decime in Wachten donec. vt infra patebit¹⁾.

De visitatione in Bethleem ordinis Regularium.

Anno domini M^o ducentesimo XXXIII^o tempore Arnoldi abbatis Wylhelmus primus prepositus monasterii in Bethleem. et totus conuentus eius. ordinis Regularium sancti Augustini. cum consilio et consensu domini Wylbrandi Episcopi Traiectensis: quia annuam visitationem non habebant. se subiecerunt iurisdictioni abbatis. prioris et cantoris. qui pro tempore erunt in monasterio Campensi Cisterciensis ordinis. Coloniensis dyocesis. eosque in perpetuos visitatores correctores et rerum suarum conseruatores pari desiderio et communi consilio elegerunt. Ita vt si non omnes visitationi interesse possent. duo nichilominus idem peragant. singulis annis. vel quotiens necessarium fuerit et tam in capite. quam in membris corrigant quicquid viderint corrigendum. secundum primas obseruantius dicti prepositi in libello antiquarum consuetudinum confirmatarum anno MCCXXXIII^o. Hanc autem ordinationem annue visitationis. dominus Henricus archiepiscopus Coloniensis. confirmauit et ratificauit. Anno M^o CC^o XXXIII^o.

Eandem etiam visitationis formam et libellum statutorum et consuetudinum antiquarum prefatarum cum sigillo predicti monasterii de Bethleem appendente signatum. dominus Gregorius papa IX confirmauit. pontificatus sui anno VIII^o vt patet in bulla ipsius. et in aliis literis desuper confectis.

Fundatio monasterii Nouicampi.

Anno domini 1234 fundata est abbatia noui campi Suerinensis dyocesis filia nostra sexta (*per wenzelaum principem ruginorum*).

Anno domini 1234 fundatum est monasterium sanctimonialium in Dusseren dictum via celi. per quendam ciuem Duysborgensem nomine Alexandrum.

Cuius foundationem dominus Henricus de molenarcke archiepiscopus Coloniensis confirmauit et bona ipsius monasterii sub

1) Bgl. die Campener Urkunden.

protectionem ecclesie Coloniensis suscepit et prima abbatissa cum aliis monialibus assumpta fuit de monasterio Zarne¹).

Circa hec tempora claruerunt Albertus magnus et Thomas de Aquino doctores famosi de ordine predicatorum²).

Anno domini 1235 canonizata fuit sancta Elizabeth lantgravia Hassie.

M^o CC^o XXXV^o.

Nonus abbas Campensis Harclevus I. cepit anno domini M^o ducentesimo XXXV^o et prefuit annis X. obiit VIII ydus Septembbris.

De primo contractu ecclesie Berckensis.

Anno domini M^o CC^o XXXV^o factus est primus contractus ecclesie parochialis Berckensis cum decimis attinentibus inter monasterium Campense et Capitulum ecclesie sancti Cuniberti in Colonia pro annua pensione IX marcarum. Sed ecclesia sancti Cuniberti protunc ins patronatus sibi de eadem ecclesia reservauit.

De decimis in Wynreswick³).

Anno domini 1236 Henricus archiepiscopus Coloniensis monasterio Campensi gracie concessit et confirmauit decimas Noualium centum et XX iugerum in wynreswick. Insuper si postea facta fuerint noualia in siluis. paludibus et aliis locis adiacentibus. decime erundem monasterio nostro permanebunt⁴).

De priuilegio Conradi archiepiscopi.

Anno domini M^o ducentesimo XXXVIII^o Conradus archiepiscopus Coloniensis concessit gracie et indulxit vt homines seculares in Nedercampe vel in aliis possessionibus nostris locati vel locandi. in cesura lignorum et animalibus nutriendis et pecoribus pascendis et aliis rebus. eandem quam haberet monasterium si propriis ea manibus coleret. libertatem habeant et potestatem. hoc est gewalt in der Gemeynden. Et ab omni exactione et seruitio aut alio grauamine. et

1) Lacombi. II, 195.

2) Beim Jahre 1262 fehrt diese Stelle nochmals wieder.

3) Winterswyk, Bauerschaft bei Rheinberg.

4) Lacombi. II, 212.

specialiter ab eo quod dicitur vedeme. liberi sint in perpetuum et exempti.

Anno domini 1240 fundatum est monasterium Sanctimonialium Riuuli sancte marie in Sterckraede. per nobilem Mechtildum dominam de Holt. tempore Alexandri pape IIII. sub venerabili patre Conrado archiepiscopo Coloniensi. Et fuit primus conuentus assumptus ex monasterio vie celi in Dusseren¹⁾.

Anno 1240 ex promotione Conradi archiepiscopi fundatum est monasterium monialium in Benynchusen ex monasterio Gyuelbergh. in quo loco sanctus Engelbertus coloniensis archiepiscopus pro iustitia fuerat martirizatus. Circa idem tempus etiam fundatum fuit monasterium in Sledenhorst ex prefato monasterio Gyuelbergh.

M^o CC^o XLV^o.

Decimus abbas Campensis Henricus II. cepit anno domini M^o ducentesimo XLV^o tempore Conradi de Hostaden archiepiscopi Coloniensis. *Obiit Nonis Augusti.*

Anno domini M^o ducentesimo XLVI^o fundata est abbatia monialium vallis sancte marie prope traiectum ex monasterio sancti Seruacii.

Undecimus abbas Campensis Hermannus I. Quo anno iste ceperit certum non inuenitur. *Obiit in festo sancti Maurieii²⁾.*

Anno domini 1250 cepit ordo Heremitarum sancti Augustini.

M^o CC^o LII^o.

Duodecimus abbas Campensis Gernodus I. cepit anno domini M^o ducentesimo LII^o. et prefuit annis X. *Obiit pridie ydus februario.*

De molendino in Dasbergh.

Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio Conradus archiepiscopus Coloniensis libertatem dedit monasterio Campensi construere et erigere molendinum in monte dicto Dasbergh

1) Lacombi. II, 251.

2) Nach anderweitigen Nachrichten wurde er 1247 ubi.

cum suis necessariis quod prius ad quinque miliaria molere oportebat
vt patet in litera¹⁾.

Item sicut ex relatione seniorum accepimus. viciniora molendina
prius fuerunt in Nussy et in Rees.

Vurstebergh.

Anno domini MCC^oLIII^o fundatum fuit monasterium in vurste-
bergh aliter dictum mons principum.

De fundatione et alternatione monasterii in vurstebergh prope xanctis.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fredericus sancte Coloniensis ecclesie dictus archiepiscopus. Omnibus nobiscum sortitis fidem in christo. pacem et salutem. Notum vobis esse volumus qualiter monasterium sancte marie in monte vurstenbergh inchoatum sit. vel qualiter illud apud deum et homines prouehi cupientes. cunctorum que ibi oblata sunt generalem fieri descriptionem decrevimus. ad prouocandam bonorum donationem. et ad prauorum postmodum versutiam deprimendam. Ministerialis quidam sancti petri nomine henricus de thornice alias de Alphey consilio Norberti tunc canonici xanctensis. et viri ad omne opus bonum parati. obtenu eterne remunerationis. beneficium quod in prefato monte vurstenbergh paterna ymmo auita transmissione acceperat. monasterio Sigebergensi libera donatione contulit. hac scil. ratione. vt cenobii illius aliquanti fratres euocati. in fundo ipsius beneficii monasticum ordinem inchoarent. Quibus adductis paulatim cepit ibi religio pollere etc.

Hec gesta et confirmata sunt Anno dominice incarnationis millesimo centesimo XIX^o indictione XII. regnante Henrico imperatore coram testibus ydoneis. Hermano preposito xanctensi Timone abate Sybergensi. Arnoldo comite Cluensi. hys omnibus fideliter annitente. et aduocatiam loci illius suscipiente de manu mea. Et coram fratribus meis Bauone et Henrico de thorniche. Norberto et fratre eius Heriberto et aliis quam plurimis. Iste prefatus Norbertus canonicus tunc xanctensis. postea magedeburgensis episcopus et frater eius Heribertus obtulerunt curtem Egre

1) Vgl. die Campener Urkunden.

Annalen des hist. Vereins. 20. Heft.

cum suis attinentiis et aliis suis bonis. vt patet in literis desuper confectis¹⁾.

Item monasterium Sigebergense de quo supra dicitur. fundauit sanctus Anno archiepiscopus Coloniensis qui obiit anno domini millesimo LXXIII^o et sepultus in eodem monasterio Sigebergensi. Ibidem etiam sepultus est dominus fredericus prefatus archiepiscopus Coloniensis. fundator etiam monasterii Campensis.

Quomodo istud monasterium deuenit ad moniales.

Item anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio monasterium monialium in Horst sancte Marie. alias dictum Honepa prope ciuitatem Dauentriam situatum incendio fuit conflagratum. et ex toto deuastatum. Ita vt vix putaretur posse restaurari. Eodem tempore disponente domino. venerabilis Godefridus abbas et consentus monasterii Sybergensis ordinis sancti Benedicti. cum consensu reuerendissimi Conradi Coloniensis archiepiscopi. mediante quodam contractu. abbatisse et conventui de horst sancte marie predictis. Cisterciensis ordinis tradidit cellam sive monasterium in monte iuxta xanctum dictum vurstenbergh perpetue possidendum. Reuocato domino Rychwino tunc preposito eiusdem monasterii. cum quibusdam monachis secum ibidem comorantibus. Ita tamen quod conuentus et abbatissa de horst quibusdam conuersis et monialibus ordinis sancti Benedicti ibidem professis. et adhuc remanentibus. debitas et consuetas prebendas quoad viuerent sine contradictione qualibet ministrarent. Et ab eo tempore moniales quedam de horst marie alias honepa venientes. monasterium vurstenbergh inhabitauerunt.

Circa idem etiam tempus monasterium de horst prius combustum²⁾. prouidente domino. per episcopum traiectensem et alios christifideles extitit reedificatum et fuit conuentus ille monialium dinisus ad vtraque monasteria. Post hec anno domini millesimo ducentesimo LXIII^o mediantibus venerabilibus dominis alberto abate Campensi et domino Nycolao preposito Bethleemensi ordinis Regularium facta fuit amicabilis diuisio rerum mobilium et immobilium inter monasterium de horst et monasterium de vurstenbergh. que ratificata fuit per

1) Cf. Lacombi. I, 290, wo die Urk. mit einigen Abweichungen abgedruckt ist.

2) Cf. §. 349.

prefatos prelatos. De prefatis autem monialibus ordinis sancti benedicti. que habitum et ordinem mutare noluerunt. salubriter fuit ordinatum per dominum Conradum archiepiscopum Coloniensem. vt propter diuersitatem habitus. diuersitas esset oratorii prefatis nigris monialibus et eis specialis secularis sacerdos cum sollempnitate diuinorum ministraret ecclesiastica sacramenta. Quod ita seruatum fuit usque ad annum domini millesimum ducentesimum LXXXIII.

Deinceps propter paucitatem superstitionis et debilitatem corporum in speciali suo oratorio. ad quod per gradus ascendebatur. diuina sua non celebrabant. sed in oratorio monialium Cisterciensium. diuina officia audiebant et sacramenta ecclesiastica recipiebant.

Aliud priuilegium de monasterio vurstebergh.

In n. sc. et ind. trin. Arnoldus non merito sed ex vocante gratia dei dictus sancte Coloniensis eccl. arch. Omnibus qui communem nobiscum sortiti sunt fidem. perpetuam pacem et eternam salutem. Notum vobis esse volumus. qualiter monasterium beate marie in monte iuxta xanctum. vel inchoatum sit vel qualiter illud nos et apud deum et apud homines per omnia prouehi cupientes. cunctorum que etc.¹⁾.

Et sciendum quod omnia priuilegia. et litere de sepedicto monte vurstebergh tradita fuerunt monialibus de horst sancte marie Cisterciensis ordinis quando acceptauerunt locum illum Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono²⁾.

De grangia Stromoers³⁾.

Anno domini M^o ducentesimo quinquagesimo sexto. abbas et conuentus monasterii Tuiciensis ordinis sancti Benedicti vendiderunt nostro monasterio Campensi curtem dictam Stroemoers pro libero allodio. cum omnibus suis attinentiis. in paludibus. pratis. pascuis. memoribus. aquarum decursibus. punctionibus. molendinis etc. pro certa annua pensione. Et prefatum contractum inter utrosque con-

1) Die Urkunde ist abgedruckt bei Binterim und Mooren, I, 38.

2) Die Geschichte der Stiftung des Klosters Fürstenberg ist der Chronik vor abgetrennt und führt von dem Fortseger der Chronik her.

3) Stromörs, jetzt ein Rittergut bei Rheinberg.

firmanit et ratificauit eodem tempore Conradus archiepiscopus Coloniensis vt patet in literis desuper confectis¹⁾.

De bonis in Asdonck.

Anno domini M^o ducentesimo sexagesimo empta fuerunt bona in Asdonck iuxta Stromoers pro puro allodio ab Henrico de vrymershem milite.

De quadam donatione comitis cliuensis.

Anno domini M^oCC^oLX^o Theodericus comes Cluensis donauit monasterio Campensi quingentas marcas in elemosinam. pro comparandis certis redditibus. pro remedio anime sue ac progenitorum et consanguineorum suorum²⁾.

De fundatione monasterii vallis comitis.

Anno domini M^o ducentesimo LX^o fundata est abbatia monialium in valle comitis. ex monasterio sancte marie in Ruremunda per Ottонem comitem Gelensem. et eodem anno per capitulum generale Cisterciense monasterio Campensi incorporata. Obiit vero prefatus comes anno 1271 et in eodem monasterio vallis comitis sepultus.

De fundatione monasterii in Lewenhorst.

Anno domini M^o ducentesimo sexagesimo fundata est abbatia monialium in Lewenhorst in hollandia. ex monasterio vallis sancte marie prope traiectum per quendam honorabilem dominum Arnoldum pastorem in Harlem.

MCCLXII^o.

Tercius decimus abbas Campensis Albertus I. cepit anno domini M^oCC^oLXV^o et prefuit annis XII. *Obiit XIII. kl. Julii scilicet Geruasii et prothasii.*

Anno domini 1262 institutum fuit festum corporis christi per urbanum papam IV.

Circa idem tempus dominus Gherardus abbas Clarevallis crudeliter martirizatus fuit.

1) *Bgl. Lacombl. II, 425.*

2) *Bgl. Lacombl. II, 492.*

*Eodem tempore claruisse dicuntur Albertus magnus theologus
& sanctus Thomas de Aquino ord. predictorum.*

De bonis Huseke in lulsdorp in terra montensi.

Anno domini M^o ducentesimo LXVI^o empta fuerunt bona nostra
in Huseke cum attinentiis in ducatu montensi. a quodam dicto
Thitmarus de Huseke.

De quodam mirabili quod accidit in hollandia Anno domini 1274.

*Anno domini millesimo ducentesimo LXXVI^o quoddam mira-
bile accidit in comitatu hollandie de domina margarita filia quon-
dam domini florentii comitis Hollandie et Zelandie. que fuit soror
Wylhelmi regis Romanorum et neptis domini Lodewici lantgrauii
Hassie qui coniugem habebat sanctam Elizabeth. filiam regis vn-
garie. que canonizata fuit anno domini 1335. Hec igitur mar-
garita nupta fuit Hermanno comiti de Hennenbergh. cui filium
peperit. Post cuius ortum per XXVI annos parere cessauit.
Quibus annis a gloria mundi et deliciis se quodammodo sub-
traxit. conuersando potius cum monialibus Cisterciensis ordinis
in monasterio de Lansdunis quod pater ipsius fundauerat anno
domini 1230. Et licet plus quam XL annos etatis haberet.
tamen pre simplicitate credere non poterat quod aliqua mulier
ab uno viro et uno partu posset parere geminos siue duos in-
fantes. vnde quodam die contigit ut quedam paupercula mulier
duos infantes scil. geminos secum portans ei obuiam veniret atque
ei diceret quod uno partu nati essent. Sed comitissa ammirans
nec credens improperauit indignanter paupercule quod nequaquam
ab uno viro talem partum habuisse. Quapropter confusa et per-
mota paupercula imprecata fuit comitisse dicens. Quia michi
iniuriose improperasti partum geminorum ab uno viro. sic oro
quatinus omnipotens deus. qui hoc dispositus in me. disponat etiam
in te. vt tot infantes a tuo viro parias quot sunt dies in anno.
Ad quod stomachando comitissa respondit. Si hoc deus dispo-
neret. oporteret me pluribus commisceri viris. Et non multo
post comitissa multum grauida et impregnata apparuit. Qua-
propter dominus Hermannus comes maritus eius. secundum quod
audierat imprecationem mulieris attonitus valde et quia partui
vicina videbatur. circa dominicam in ramis palmarum conuocauit*

ad suam curiam plures nobiles vtriusque sexus. cum episcopo Guidone. vicario in pontificalibus domini Johannis de nassouen episcopi Traiectensis pro baptismo futurorum infantum. Nec tamen credebatur quod plures proles quam septem supra naturam humanam parere posset. Factum est autem in feria sexta que pascheue dicitur que tunc in crastino Annunciationis sancte marie evenit. hora nona ante meridiem impletum est tempus ut domina margarita comitissa pareret. et domino volente peperit trecentos et sexaginta quatuor infantulos vtriusque sexus. viventes et paruissime quantitatis. Et eadem hora post partum defuncta est in presentia plurium nobilium personarum. Tunc prefatus episcopus consecuto baptismo paruulos omnes baptizauit in quadam pelui. masculis omnibus imponens nomen Johannes. femellis nomen Elizabeth. ad honorem sancte Elizabeth lanograue. Et isti infantuli postquam baptizati fuerunt mortui sunt. et cum matre in uno eleuato sarcophago sepulti in ecclesia monasterii Landunensis supradicti anno domini 1274. Et super sepulchrum hec hystoria depicta et descripta habetur. Et sciendum quod imprecationem vel maledictionem paupercula mulieris deus conuerit in benedictionem comitisse. Et ne predicta paupercula iactanter gloriaretur. quod deus eius orationem implesset. non fuerunt natu tot infantes quot sunt dies in anno scil. trecenti LXV. sed trecenti sexaginta quatuor videlicet unus infans minus. Per omnia benedictus deus qui facit mirabilia solus. Amen¹⁾.

MCCLXXIII^o.

Quartus decimus abbas Campensis Ghiselbertus I. cepit anno domini M^o ducentesimo LXXIII^o et presuit annis XXIII. Obit in festo valentini martiris.

1) In den Annalen Hest XIX, S. 38, wird über dieselbe Legende berichtet. Die selbe scheint also doch noch eine ältere Quelle zu haben, als dort angegeben ist. Die erste Fortsetzen der Chronik ist der Auctor dieser Notiz, die auf einem besonderen Blatte beigeheftet ist. Merkwürdig ist die Variante in den Jahreszahlen. In Bezug auf den Bischof ist unsere Nachricht sehr genau unterrichtet; der Berichterstatter behauptet mit Bestimmtheit im Gegensatz zu den in den Annalen mitgetheilten Notizen, daß um 1487 das Grabmal noch vorhanden gewesen.

De elemosina in Cena domini.

Anno domini M^o ducentesimo LXXVII^o dominus Arnoldus de Wachtendonck. Canonicus ecclesie xanctensis. pro remedio anime sue et memoria sua celebranda. dedit monasterio Campensi ad subsidium elemosine faciende in Cena domini pauperibus ante portam in perpetuis redditibus XV maldra siliginis. VII maldra ordei et I maldrum tritici.

De hospitali ad portam.

Insuper dedit certam pecunie summam pro constructione hospitalis pauperum. in quo duo pauperes in memoriam sui tenebuntur.

De magna inundatione Reni. 1279. (?)

In februario Renus fit ingens vt catheclismus. (cataclismus?)

*Anno milleno bis centeno quoque quaterno
Ac octogeno mundi durante sub anno
Fiunt aque tante que copia non fuit ante
Annis in mille nobis predixit vt ille
Maximus Albertus mira virtute refertus.*

Et tunc Renus Colone invydauit super muros in tantum quod naues super muros intrarent et plura dampna in agris et edificiis fecit¹⁾.

De bonis in Ossenbergh.

Anno domini M^o ducentesimo LXXXIII^o comparata fuerunt bona monasterii in Ossenbergh.

Anno 1284 ordo Celestinorum cepit per virum sanctum Celestimum. qui postea papa fuit.

De priuilegiis Syfridi.

Anno domini M^o ducentesimo octogesimo quinto Syfridus archiepiscopus Coloniensis suscepit curiam nostram in Colonia sub protectione beati Petri et affectu beniuolo admittit vt ibi studium ordinis habere. ecclesiam edificare. cimiterium habere. diuina celebrare. publice predicare libere valeamus²⁾.

1) Diese Angabe stimmt mit der Kölner Chronik nicht überein, diese weiß nur von einer Überschwemmung im Jahre 1374.

2) Vgl. Lacombi. II, 809.

De bonis in Jutfaes.

Anno domini 1290 Ghiselbertus decanus ecclesie sancti Petri in traecto. donauit nobis bona in Jutfaes prope traiectum.

De curte in Empel.

Anno domini 1292 empta fuit curtis nostra in Empel iuxta Stromoers. quam Theodericus comes de Moers libertauit ab omnibus seruiciis et iuribus excepto iudicio sanguinis¹⁾.

De vineis in Gulse.

Anno domini 1294 comparata fuerunt bona et vinee in Gulse supra mosellam ab abbatte et conuentu monasterii de Harsvit-husen. Paderbornensis dyocesis. Anno 1293 empta fuit decima in Schyderick prope Gumbretshem.

De indulgentiis specialibus.

Anno domini millesimo CC^oXCI^o Ghiselbertus abbas campensis in urbe Roma a duodecim episcopis nominatim in litera expressis impetravit a quolibet XL dies de iniunctis penitentiis relaxantes visitantibus ecclesiam monasterii in certis festis et temporibus aut qui ad fabricam. ornamenta. luminaria. vel ad alia necessaria manus porrexerint adiutrices. vel in extremis quecumque legauerint. Et has indulgentias Sifridus archiepiscopus Coloniensis ratificauit et XL dierum indulgentias et vnam karenam gracie superaddidit. Anno domini M^oCC^oXCI^o.

De summa indulgentiarum.

Anno domini M^oCC nonagesimo quarto idem Ghiselbertus abbas adhuc impetravit in ciuitate Neapoli a XIII Episcopis in quadam alia litera nominatis. a quolibet XL dies indulgentiarum de iniunctis penitenciis hijs qui in certis festis et temporibus in litera expressis ecclesiam monasterii visitauerint. vel qui ad fabricam. ornamenta. luminaria. vel ad alia necessaria quicunque suarum legauerint facultatum etc. Et istas indulgentias etiam Sifridus archiepiscopus

1) Vgl. Campener Urkunden.

Coloniensis anno M^o CC^o XCV^o confirmauit et ratificauit. Summa pre-dictarum indulgentiarum mille dies et quadraginta cum vna karena.

Item sepedictus Syfridus archiepiscopus Coloniensis ratificauit monasterio Campensi plura bona in diuersis locis et libertauit a iure feodali. vt patet in pluribus litteris desuper datis.

Huic venerabili Syfrido successit immediate in episcopatu Coloniensi Wycboldus de Huylte. et post eum Henricus de vyrnenborch. in quorum temporibus propter guerras monasterium Campense sustinuit enormia dampna. sicut patebit.

De Alanó theologo.

Anno domini M^o ducentesimo XCHIII^o obiit recolende memorie magister Alanus natione Almanus doctor famosissimus. Qui despecto seculo ignotus et in peregrino habitu veniens in Cistercium ad humilem sui instantiam. ad habitum conuersorum receptus. humilia et laboriosa officia multo tempore fecit. Tandem in quadam disputatione periculosa contra hereticos se manifestauit. Et in sancte humiliatis et religionis profectu consummatus in breui expleuit tempora multa. Sepultusque ob reuerentiam sui in alto sarcophago in ambitu Cysterciensi ad introitum ecclesie cum subiecto epytaphio.

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit.
Qui duo. qui septem. qui totum scibile sciuit.
Labentis seculi contemptis rebus egens fit.
Intus conuersus. gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno. nonageno quoque quarto.
Christo deuotus. mortales exuit artus.
Seire suum moriens dare. vel retinere nequiuit.
Ymmo quo meruit. dum vixit spiritus iuit¹).

De curia et capella in Bercka et confraternitate.

Anno domini M^o ducentesimo nonagesimo quinto prefatus Syfridus archiepiscopus Coloniensis cupiens diuinum cultum ampliare ad preces opidanorum in Bercka licentiauit et indulsit abbatii et conuentui

1) Vgl. über „Alanus“ de Visch Bibliotheca scriptorum s. ord. Cisterc. S. 12, wo auch diese Verse angeführt stehen. Der 7. Vers steht aber an dritter Stelle, und der letzte Vers fehlt gänzlich. Vgl. ferner Alani magni de insulis Opera ed. de Visch in der Vorrede. Antwerpen 1654.

Campensi. quatinus in curia sua in Bercka Capellam construant sicut in Colonia et Nussya. et diuina ibidem celebrent. seruato tamen iure parochialis ecclesie. Insuper domum et capellam ab omnibus talliis et collectis et quolibet iure voluit esse libera et exempta.

Deinde Anno domini M^o ducentesimo XCVI^o Ghiselbertus abbas Campensis impetravit omnibus fratribus et sororibus illius capelle a capitulo generali Cysterciensium fraternalitatem totius ordinis. Verum ne ad talia beneficia ipsi opidani viderentur ingrati predictam domum et capellam ab omni onere exactionis et quorumcunque seruitiorum debito liberam dimiserunt et exemptam. vt patet in literis desuper confectis¹⁾.

De libertatibus circa monasterium.

Anno domini 1296 idem Syfridus archiepiscopus Coloniensis renouat et declarat priuilegia friderici fundatoris nostri et Conradi archiepiscoporum Coloniensium predecessorum suorum. Et in eadem renouatione cum consensu decani et capituli maioris ecclesie Coloniensis gracie superaddidit et concessit nobis et hominibus secularibus in allodio monasterii commorantibus. vti omni circumiacente silua que ad ius episcopale pertinet. ad pecorum pabula et ad instaurationem officinarum et edificiorum sine alicuius contradictione. Item locum ipsum ante portam monasterii vsque ad fabricam et domum laterum emunitati et libertati donauit. quod nullus iudicium secularium possit ibi aliquem arestare. Item paludem circa monasterium a molendino Gorsvort. versus Berckam et Sellen in circuitu noue curie vsque ad veterem curiam in purum allodium et meram proprietatem donauit et alia que patebunt perlegenti²⁾.

MCCXCVIII.

Quintus decimus abbas Campensis Arnoldus II. de Zittart cepit anno domini M^o CC^o XCVIII^o et prefuit annis XXII. obiit III^o kal. nouembris. Iste instaurauit in primo anno suo anteriorem partem chori. et sumnum Altare de nouo consecrari fecit 1298. Instaurata eciam fuit capella curie nostre in Colonia et consecrata eodem tempore similiter in Stromoers.

1) Vgl. Campener Urkunden.

2) Ebendaselbst.

Sub isto abate frater Rutgherus de Bereka scriptor egregius multos libros scripsit. quibus memoriam sui reliquit posteris in benedictione. Obiit vero in monasterio monialium lewenhorst in hollanda et ibidem sepultus prefatus frater Rutgherus¹⁾.

De quibusdam enormibus dampnisi.

Temporibus Arnoldi abbatis ceperunt esse tempora periculosa et pressura gentium in hac terra. pre confusione diuersarum guerrarum hinc inde inter principes consurgentium. temporibus videlicet Wyckboldi archiepiscopi Coloniensis et successoris eius Henrici de vyrnenborch. fuerunt enim in superioribus partibus guerre graues inter archiepiscopum Coloniensem ex vna parte et ciuitatem Coloniensem et comitem Juliensem ex altera. Item in inferioribus partibus fuerunt guerre. inter illustres ducem Gelensem et Episcopum Traiectensem ex vna parte. et comitem Cliensem et comitem Hollandie ex altera. Et istis guerris miscuerunt se altrinsecus multi principes. milites et armigeri et multiplicata sunt mala vltra VII annos. Quibus temporibus monasterium Campense plures exactiones diuersis dominis dedit. quatenus curtes et grangias servaret indemnes. sed parum profuit. quia postea omnia rapinis et incendiis deuastauerunt. Fuerunt namque tempore spoliationis in diuersis grangiis et curtibus monasterii. equi. boues. vacce. oves. porci et alia diuersorum generum animalia. in estimatione vera et communi ad valorem quindecim milium florenorum. que omnia rapta fuerunt. Et insuper viginti due curtes fuerunt concremate in quibus erant vltra centum bona edificia. quorum multa plena erant bladis. Preterea et aliqui de colonis et famulis fuerunt interficti. Sed et per decursum temporis prefatarum guerrarum in diuersis locis arbores et silue non cedue violenter fuerunt succise. Item Johannes dominus de Ryperscheit et comes Juliensis qui postea factus est dux. exactacionauerunt curtes monasterii Gumbretshem et Ouwenhem. ad plura et vltiora quam annue valere consueuerunt. quia homines de exercitibus eorum ibidem se congregauerunt ac stationes ad libitum facientes. omnia consumperunt et grauibus seruitiis afflixerunt. preter omnem abbatis et fratrum Campensium demeritum et culpam. Ex prefatis vero curtibus consuevit monasterium percipere singulis annis octingentos florenos

1) Er lebte noch im Jahre 1318.

aureos. omnibus expensis prius defalcatis. Et sic occasione predictarum guerrarum quasi irrecuperabilia dampna Campenses pertulerunt.

De totali summa dampnorum.

Que in vera et probabili estimatione summam quadraginta milium florenorum aureorum excedebant. Quapropter abbas et conuentus cum non haberent vnde viuerent. et reedificarent edifia combusta. receperunt sub vsura a iudeis quatuor milia florenorum aureorum. Insuper ad vsufructum mille et cc^{os} florenos aureos. Que successiue auxiliante deo post guerras soluta fuerunt.

De destructione curtis opghen Hoen per invndationem Reni.

Ea tempestate optima curtis monasterii in insula Reni sita in comitatu Cluniensi fuit combusta et spoliata cum aliis curtibus et rapte fuerunt ex ea mille et trecente oves. cum aliis animalibus ibidem repertis. Cumque treugis factis inter principes reedificata fuisse. postea per invndationem et impetum reni fluminis destrueta fuit quodammodo et absorpta. exceptis paucis agris circa litus reni situatis. Circa annum domini millesimum CCCXII. Ex prefata curte habebat monasterium annuatim mille ducenta maldra tritici. silihinis et ordei equepartim et in pascuis nutriri consueuerant mille et ducente et aliquando trecente oves preter alia animalia. Ex quibus singulis annis percipiebant XL cludones lane et quingentos casos ouinos. quolibet caseo ad valorem antiqui Turonensis estimato. De isto etiam habetur supra sub Gherardo quarto abbate.

De numero personarum eodem tempore.

Item ante tempus predictarum guerrarum et ipso tempore fuerunt et esse consueuerunt in Campensi monasterio septuaginta duo monachi literati. presbiteri videlicet dyaconi subdyaconi et clerici et unus abbas. Et cum hoc septuaginta duo conuersi cum eorum familiaribus et seruitoribus. et fuit eis magna deuotio in diuino cultu die noctuque. Vnusquisque etiam monachus et conuersus sufficienter vt decuit necessaria habuit in victu et vestitu. et omnes superuenientes hospites diuites et pauperes decenter et caritatue suscep- runt tractantes quoslibet secundum exigentiam status sui. Postea vero propter predicta grauia dampna. non remanserunt. nisi triginta et sex monachi et pauci conuersi. qui in paupertate viuebant. Ceteri vero dispersi fuerunt et transmissi ad alia monasteria vt in eis

rietum et vestitum haberent. Quidam vero apud amicos suos diuites fuerunt ad tempus. Erat autem tunc in Campensi monasterio videre & audiire miseriam. quum pene omnibus curtibus et grangiis incendio conflagratis. et absque habitatoribus et cultoribus propter guerras remanentibus. ipsi abbas et conuentus egerent. qui aliis habundanter dare consueuerunt. De prefatis dampnis et miseriis habetur latius in quodam longo rotulo per notarium publicum de istis euentibus conscripto. 1363. legat qui voluerit. Et prefatus rotulus habet in longitudine XVIII vlnas cum dimidia et in latitudine quasi vnam vlnam mensure Coloniensis¹⁾.

1) Von der hier berührten Rolle ist, so viel mir bekannt, nichts mehr vorhanden, auf einem Pergamentblatte, das der Chronik beigeheftet ist und mindestens ein gleiches Alter wie die Chronik verräth, steht mit Bezug auf die zahlreiche Personenzahl in den Städten des Lütticher Landes gegen Ausgang des 13. Jahrhunderts folgende Tabelle:

Taxatio siue numerus personarum in monasterio Campensi. ac in monasteriis Campensi monasterio immediate subiectis circa annum domini millesimum ducentesimum octagesimum et continenter pluribus annis sicut in antiquis scriptis inuenitur.

In monasterio Campensi . Monachi	LXXII	preter abbatem Connensi	LXXII.
In Walkenreda	" LXXX	" CLXXX.	
In Volkolderaede	" L	—	" C et III.
In Amelungesborne	" L	—	" XC.
In Harswitchusen	" ?	—	" ?
In lapide sancti Michaelis	" L	—	" XCVIII.
In nono Campo	" LX	—	" LV.

Numerus personarum in monasteriis monialium circa
idem tempus.

		Moniales	
In Eppychouen		XXIII.	
In Zarne	"	XXV.	
In Ruremonda	"	XL.	
In Honepa vel Horst	"	XXX.	
In Dusseren	"	XXVIII.	
In Welueren	"	L.	
In Benynchusen	"	L.	
In Sterkrade	"	XX.	
In Sledenhorst	"	XX.	
In Traiecto ad sanctum Seruacium	"	XLI.	
In Valle sancte Marie	"	XXX.	
In Furstelbergh	"	XXX.	
In valle comitis	"	L.	
In Lewenhorst	"	XXV.	
In Bersenbrugge	"	L.	

De quodam conuerso interfecto.

Eisdem etiam temporibus duo armigeri germani fratres dicti de Eluervelt quendam conuersum monasterii in grangia dicta Nyrgenna, ausu sacrilego interfecerunt. qui postea penitentia ducti penitentiarium domini Clementis pape quinti adierunt absolutionem petentes. qui considerata eorum penitudine absoluit eos auctoritate pape ac remisit cum literarum suarum testimonio mandans eis et cuilibet eorum. sub debito prestiti iuramenti. vt per omnes ecclesias illius loci vbi tantum facinus extitit perpetratum. nudi. bracis dumtaxat exceptis. et discalciati. virgam ferentes in manibus. et corrigiam circa collum. Et ante fores ipsarum ecclesiarum. quum maior in eis aderit multitudo populi. a presbyteris earundem psalmum penitentiale dicentibus faciant verberari. suum publice confitendo reatum. Insuper monasterio satisfaciant. et si aliquod feudum vel ius patronatus ab eo obtinuerint. ipsi et eorum in perpetuum heredes sint priuati. Et si que mandantur facere contempserint in eandem reimicant excommunicationis sententiam. Actum anno 2º Clementis pape quinti qui cepit anno domini MºCCCºIIIº.

De venditione curtis in Nyrgena.

Prefata vero curtis in Nyrgenna propter multa grauamina et violentias et dampna que monasterio ibidem inferebantur postea vendita fuit duci Gelrensi. qui successu temporis in eodem loco castrum. sicut hodie cernere est. extruxit.

Anno domini MºCCCº 2º monasterium fuit obligatum maximis pensionibus vitaliciorum.

De 2º contractu ecclesie Berckensis.

Anno domini MºCCCº septimo Henrico de Vyrnenborch Colon archiepiscopo cooperante factus est secundus contractus inter capitulum ecclesie sancti Cuniberti in Colonia et monasterium Campense. de ecclesia Berckensi cum iure patronatus et omnibus pertinentiis. bonis presentibus et futuris. et quod deberet officiari per presbyterum secularem.

De ordine milicie sancti Johannis in Rhodo insula.

Anno domini 1307 ordo templariorum subito propter quedam maleficia deletus fuit. Iste ordo inceptus fuit anno mille

simo C^oXIII^o. Item in eorum loco successerunt Rhodiani milites sancti Johannis. Huij namque religiosi. cum Jerosolima omnino iheredita esset. et templarii in magnos errores prolapsi a romano pontifice fuissent extincti in eam insulam sese recipientes. Thürus eius dominos eiecerunt. et urbem pene dirutam restaurantes omniaque et classes reformantes. non solum insulam ipsam statu sunt. sed Cipris et aliis finitimiis christum coelentibus magno presidio fuerunt et propterea bona Templariorum pro magna parte per pontifices romanos et alios principes ipsis concessa furerunt.

De contractu ecclesiarum de Loer, Nederassel et Haren.

Anno domini MCCC^o XI^o empta fuerunt a domino wylhelmo de milne milite. quedam bona cum iure patronatus ecclesiarum de loer. haren et nederassel. Et eodem tempore Henricus coloniensis archiepiscopus. propter maxima dampna abbati et conuentui monasterii Campensis illata. eis pro affectu compatiens dictas ecclesias. eisdem et eorum monasterio cum ecclesia Berckensi vniuit et incorporauit¹⁾.

De bonis in Nederassel.

Anno domini M^o trecentesimo XIII^o empta fuerunt bona nostra Nederassel ab Henrico de Masacker pro centum et XXX libris parvorum turonensium denariorum²⁾.

De quibusdam bonis in Haren.

Anno domini MCCC^o XIII^o empta fuerunt principalia bona in haren ducentis et quinquaginta libris parvorum turonensium.

De translatione dedicationis ecclesie.

Anno domini M^o CCC^o XIV^o facta est translatio dedicationis ecclesie nostre et omnium altarium cum indulgentiis per venerabilem dominum Johannem episcopum scopulensem. vicarium in pontificalibus reuerendissimi domini Henrici archiepiscopi Coloniensis. a festo sanctorum Prothi et Jacincti usque ad tertium

¹⁾ Pacombl. III, 102.

²⁾ Vgl. die Campener Urkunden.

*diem post festum Epiphanie. Et hoc propter crebra homicidia
et alia animarum pericula tunc fieri solita.*

Fraternitatem ordinis habent benefactores monasterii Campensis.

Anno domini M^o CCC^o sexto decimo Conradus abbas Cystercii totusque conuentus abbatum capituli generalis concessit omnibus christifidelibus elemosinas suas seu grata beneficia monasterio Campensi prestantibus. fraternitatem et plenariam participationem omnium bonorum que in ordine fiunt et perpetuis temporibus sicut domino concedente.

Fraternitas ordinis quam abbates in generali capitulo conferunt talis est et tanta. Primo pro viinis. Summa missarum octuaginta milia. psalteriorum vero triginta milia. Item pro defunctis missarum septies centena milia et psalteriorum duodecies centena milia. Item prebendarum conuentualium singulis diebus tria milia pro refectione pauperum.

De fame et pestilentia magna.

Anno domini 1317 et sequenti anno fuit tanta fames in alcemannia. quod homines pre fame et inedia commederunt siliquas pororum et mortua cadavera animalium. Et secuta est tanta mortalitas hominum. ut plures mortui inuenirentur. per vicos et plateas ac sepes et in multis locis cimiteria mortuos capere non poterant. sed aportebat dilatari. plures eciam ville et domus remanserunt absque habitatore. Subsecuta est eciam tanta mortalitas boum et vaccarum. ut vix tenues reliquae remanerent.

De quibusdam bonis in Haren.

Anno domini M^o CCC^o XVIII^o empta fuerunt quedam bona in haren a wylhelmo de Bronchorst. domino de Batenborch pro libero alladio. pro duabus milibus parvorum denariorum.

De emptione bonorum in karlesforst.

Anno domini M^o CCC^o XVIII^o factus est contractus emptionis bonorum in karlesforst cum suis attinentiis in Creuelt. Anrode. Oesterade et wyllick cum decimis et omnibus libertatibus. a monasterio aule sancte marie in Eppynchouen. pro septingentis marcis. tempore Arnoldi de Zittart abbatis Campeñsis et Eufemie abbatissae in Eppyn-

louen. Et hanc litteram scripsit frater Rutgherus de Bercka egregius scriptor¹⁾.

De libertate in Vrdinghen.

Anno domini M^o CCC^o XVIII^o Henricus archiepiscopus Coloniensis libertauit curiam nostram in Vrdinghen. et exemit ab omni onere ciuili sc. vigiliarum. exactio[n]is. contributionis. angariarum.

Item eandem curiam index et scabini atque opidani ab omnibus oneribus libertauerunt. et cum hoc gaudebit omnibus priuilegiis et iuribus eorum sicut quondam Syfridus archiepiscopus Coloniensis concesserat²⁾.

De quodam concambio bonorum et fraternitate inter monasterium Campense et sanctarum XI^m virginum in Colonia.

Anno domini M^o trecentesimo vicesimo facta est quedam permutatio quorundam bonorum nostrorum in boesdorp situatorum cum abbatissa et conuentu sanctarum XI^m virginum in Colonia. Et in litera desuper data habetur de mutua fraternitate vtriusque monasterii. Ita vt cum personam aliquam alterius monasterii mori contigerit. tunc conuentus alterius monasterii facere tenebitur ac si persona aliqua sui monasterii decederet. Huic litere Arnoldus abbas Campensis sigillum suum vnicum pro se et suo conuento appendit. conuento needum speciale sigillum habente. Iste Arnoldus eodem anno obiit et successit sibi immediate hermannus.

M^o CCC^o XX^o.

Sextus decimus abbas Campensis Hermannus II. de wachtendonck. Cepit anno M^o CCC^o XX^o. Resignauit vero anno domini M^o CCC^o XXVI^o. Obiit II. non. nouembris.

De curte Plits.

Anno domini M^o trecentesimo XX^o tempore Hermanni abbatis campensis a quodam Swedero de vrymershem comparata fuit curtis nostra Plyts pro libero allodio cum omnibus attinentiis suis in pratis. paludibus. pascuis. siluis. aquarum decursibus. punctionibus et molendino.

1) Bgl. Campener Urkunden.

2) Ebendas.

Anno domini M^oCCC^oXXI^o Henricus archiepiscopus Coloniensis confirmauit et libertauit monasterio Campensi decimas in wylick inter Anrode et Vissel. emptas a theoderico van den Hamme cognomento Monachus.

Anno domini M^oCCC^oXXI^o comparata fuerunt diuersa bona in vronenbroeck ab Arnoldo van dongeraede.

De libertate in Zonsbeeck.

Anno domini M^oCCC^o vicesimo secundo Theodericus comes Cliuensis graciouse remisit monasterio Campensi thelonium in Zonsbeeck de quibuscumque rebus. Eciam libertauit curiam nostram in Orsoy ab omnibus oneribus. 1331.

De corpore sancte margarite martiris comiti Cliuensi concessio.

Anno domini M^oCCC^oXXII^o prefatus Theodericus comes cliuensis ex speciali affectu et desiderio petiuit sibi concedi ab abbe et conuentu Campensi corpus sancte margarite martiris per tempus vite sue in ecclesia Cliuensi custodiendum promittens bona fide in litera desuper data quod ad requisitionem dictorum abbatum et conuentus absque quacunque contradictione restituet.

De cataclismo in veteri monte facto.

Anno domini M^oCCC^oXXIII^o 23^o die mensis maii maximum diluuium generatum ex casu nubis aquose pertransiuit monasterium veterismontis. quod euersis muris et quibusdam edificiis magnum dampnum eidem monasterio intulit. quia altior fuit aqua altariis in ecclesia et perierunt plura ornamenta ecclesie cum libris chori et bibliotece. cum aliis diuersis necessariis et bonis monasterii. Insuper decem persone fuerunt submerse per huiusmodi repentinam invndationem. De isto euentu extant versus artificiales et nigrantes.

De ordine milicie ihesu christi.

Anno domini 1324 ordo nouorum militum ihesu christi instituitur in regno portugallie per Johannem papam XXII. vt sarracenis ibidem resisterent circumquaque discurrentibus. Huius ordinis caput siue principalem domum constituit idem papa in marino Syluensis dyocesis opido. Eisdem eciam militibus omnia bona Templariorum in Portugallia annuente rege concessa sunt.

quo liberius milicie christi vacarent. Cuius censor et moderator est abbas monasterii de Alcobasia Cisterciensis ordinis. vlxionensis dyocesis. qui et conscribendi et exauctorandi milites facultatem habet.

Eodem tempore regnante Ludouico IV. Gelrie comitatus fit incautus. cuius primarius dux fuit Reynaldus qui obiit anno 1341 et in monasterio sanctimonialium vallis comitis cum progenitoribus suis sepultus.

De libertate bonorum in vronenbroeck.

Anno domini M^o CCC^o XXVI^o Henricus archiepiscopus Coloniensis ratificauit et confirmauit emptionem diuersorum bonorum in vronenbroeck cum futura augmentatione. Et in eisdem bonis consistunt et habentur termini episcopatus Coloniensis. prout narratur in literis.

M^o CCC^o XXVI^o.

Septimus decimus abbas Campensis Godefridus II. de Nussya. ceperit anno domini M^o CCC^o XXVI^o. Iste resignauit semel inuito conuentu. et iterum fuit electus. Obiit III. kl. februarii.

Anno domini M^o CCC^o XXVII^o Godefridus abbas emisit literas questuales ad omnes christi fideles cum literis indulgentiarum. quatinus eorum donationibus et elemosinis inopiam que occasione guerrarum percussionibus grandinum ac sterilitatum grauaminibus monasterium oppresserat posset subleuare. atque ruinosa et combusta edifica reparare et instaurare.

Prima possessio ecclesie berckensis per campum.

Anno domini MCCCXXIX^o Henricus de vyrnenborch Coloniensis archiepiscopus concessit abbatii et conuentui Campensi quod possent officiare ecclesiam Berckensem per monachos suos. Et fuit eodem anno inuestitus fr. Thomas de Bercka.

De libertate curie in Orsoy.

Anno domini M^o CCC^o XXXI^o Theodericus comes Cliuensis libertavit curiam nostram in Orsoy ab omnibus grauaminibus exactionibus vigiliis. Et nichilominus gaudebit defensionibus. priuilegiis. iuribus. libertatibus et graciis quibuscumque.

De molendino super Nursenbergh.

Anno domini M^o CCC^o tricesimo septimo Walramus archiepiscopus Coloniensis gracie concessit monasterio construere molendinum super Nursenbergh. sicut Conradus predecessor suus concesserat super Dasbergh. Et quod nullus potest prohibere. volentes molere in molendinis prefatis.

Ordinatio Benedicti pape XII. de sigillis et sigillationibus literarum.

Anno domini millesimo trecentesimo XXXV^o Benedictus papa XII. de ordine Cystercensi assumptus pontificatus sui anno primo statuit et ordinavit quod quilibet conuentus cuiuslibet monasterii habeat proprium et speciale sigillum et quod quilibet abbas vel prelatus nouiter electus antequam amministret iuramentum prestare teneatur ad sancta dei Euangelia. quod possessiones et iura ad suum monasterium pertinentes seu pertinentia non vendet nec alienabit neque de nouo infeodabit neque per aliquem modum donabit. ne paulatim veniat in collapsum quod est antiquitate vel prolixitate temporis acquisitum. Et quod deinceps in sigillo cuiuslibet abbatis vel prelati. ipsius proprium nomen exprimatur. vt melius sciri possit per quem et cuius tempore de quo agetur factum extiterit. vt maliciis et falsitatum commentis via melius precludatur. Et quia gesta hominum scripture fidei committuntur. vt rei geste in posterum memoria habeatur. voluit et ordinavit vt vbicunque abbates aliquod cum expresso suorum conuentuum consensu facient de tali testimonialis conficiatur scriptura et sigilla eorundem abbatum eorumque conuentus apponantur in illa. Hec pape benedicti. Istud prius non fiebat in ordine nostro. sicut in antiquis literis approbatur vbi tales clausule reperiuntur. Et ego N. abbas vnicum sigillum meum prime et meo conuentu quod aliud non habet in robur firmitatis presentibus feci appendi. In cathedralibus tamen et collegiatis ecclesiis. et aliis quibusdam ordinibus prius ante ista tempora duo sigilla litteris eorum reperiuntur appensa.

Iste benedictus XII. primo vocatus fuit Jacobus et erat abbas monasterii frigidi montis Cisterciensis ordinis. qui temporibus suis singulos ordines reformare nisus est.

Item ante prefatam ordinationem benedicti pape XII. quidam abbates in sigillo suo habebant ymaginem abbatis. alii. ymaginem

beate virginis. quidam vero tantum baculum pastoralem. Scriptura circumferentia sigilli talis erat. Sigillum abbatis Campensis sine expressione proprii nominis. sicut adhuc in literis per ipsos sigillatis apparet.

Item finalis clausula in literis cuiusdam H. abbatis Campensis habentis ymaginem beate marie stantis in sigillo. Ut ista ordinatio agius teneatur et prescriptorum autenticum evidentius pateat et rotetur. sub sigillo beate et intemerata virginis marie in cuius honorem et obsequium ecclesia campensis fundata est et omnis prescripta actio ordinata. presentem cedulam communiuimus.

M^o CCC^o XLI^o.

Octauus decimus abbas Campensis Arnoldus III. beyart de Bercka. cepit anno domini M^o CCC^o XLI^o et prefuit VIII annis. obiit VI^o d. augusti.

Anno domini M^o CCC^o XLI^o Walramus archiepiscopus Coloniensis certa scientia gracie concessit. Ne coloni nostri a ponte Gorswrt vsque ad pontem vpdem Horstken in vronenbroeck commorantes trahantur vel cogantur ad iudicium. ther Eyken in boicholt. quod nme dicitur Rossenrade¹⁾.

Quomodo Wylhelmus archiepiscopus coloniensis angarisauit monasterium Campense.

Item prefato walramo archiepiscopo Coloniensi successit Wylhelmus de Gennep. qui pro edificationibus suorum castrorum angarisauit monasterium Campense. quod oportuit ex curtibus Gumbretshem et Ouwenhem sibi ad servitium tenere currum cum quinque equis et duobus famulis. expensis monasterii. Ex tali ergo angariatione et instinctu prefati archiepiscopi permoti et indignati fuerunt dux Julianensis et dominus de Ryperscheit. qui pretendebant sibi hoc fortius competere et licere. eo quod ipse curtes predice non sub ipsis archiepiscopi. sed sub ipsorum dominiis essent situate. Quapropter et quilibet ipsorum exactionem duplicauit et sic oportuit continue tenere quinque currus cum XXV equis et decem famulis in propriis expensis. Vnde abbas et conuentus obtulerunt se dare ex curte Gumbretshem redditus trecentorum florenorum aureorum. Quatinus

1) Bgl. Campener Urkunden.

ipsi et eorum heredes monasterium ab huiusmodi exactionibus et indebitis hospitalitatibus haberent excusatum. Sed dominus de Ryferscheit tales redditus accipere recusavit. qui ymmo iactauit se ad huiusmodi seruitium abbatem et conuentum perpetue debere esse obligatos et hereditario iure possidere. Sub tali quesito colore. quod curtes sepedicte sub dominio suo pro maiori parte sint situate. et quod easdem prius in guerris defensauerit et in posterum ne ab aliis inuadantur aut spolientur defensare velit: Sed istam defensionem male seruauerunt heredes aut posteri eorum. Excopiatum est istud ex magno rotulo de quo supra habetur. (S. 369.)

M^o CCC^o XLIX^o.

Nonus decimus abbas Campensis Wylhelmus II. de Zwalmen. cepit anno domini M^o CCC^o XLIX^o et resignauit Anno M^o CCC^o sexagesimo. in festo nativitatis marie obiit.

Anno domini 1349 flagellatores ibant. V. Ex viuida cadit. mors vastat. grex cruce vadit. Ex ista secta multi graues errores pullulauerunt circa fidem et sacramenta ecclesie. que postremo in parte igne et gladio exterminata fuit.

Concessio wilhelmi archiepiscopi quod possumus officiare omnes ecclesias parochiales.

Anno domini M^o CCC^o quinquagesimo Wylhelmus de Gennep archiepiscopus Coloniensis perpendens grauamina seruitiorum et maxima dampna. temporibus predecessorum suorum monasterio illata gracie concessit abbati et conuentui. quatinus ecclesias parochiales in Bercka. loer. nederassel et haren. per Henricum de Vyrnenborch predecessorem suum prius monasterio incorporatas possent officiare per monachos suos que antea per capellanos seculares regebantur. Et in primis vacaturis earum continenter fuerunt in eis investiti monachi Campenses vt patet in literis presentationum. Sed talis officiatio predictarum ecclesiarum postmodum dinoscitur interrupta.

Anno domini M^o CCC^o quinquagesimo primo Reynoldus dux Gelrensis. occasione quarundam impetitionum quas pretendebat. extorsit a monasterio Campensi quadringtonos scudatos antiquos aureos. vt patet in quadam litera.

De emptione curtis Lve prope vrdinghen.

Anno domini M^oCCC^oLII^o empta fuit curtis in Lue prope Vr dinghen pro libero allodio pro CCL scudatis aureis.

Anno domini M^oCCC^oLIII^o Wylhelmus de Gennep archiepiscopus Coloniensis cenam domini celebrauit in monasterio Campensi solemniter et crisma sacrum ibidem confecit.

De venditione grangie maioris in wyse. prope Confluentiam.

Anno domini M^oCCC^oLV^o Wylhelmus abbas et conuentus Campensis vendiderunt Carthusiensibus montis sancti Beati prope Confluentiam grangiam dictam Campe in parrochia Wyse situatam. pro duobus milibus et ducentis scudatis antiquis aureis. Et hec grangia vendita fuit propter graues exactiones et seruicia curruum. quas archiepiscopus treuirensis imposuit super eam. quamuis quondam a Johanne archiepiscopo predecessore suo. fuerat plene libertata. Anno M^oCC^o quarto tempore Theoderici quinti abbatis Campensis.

De ordine sancte Birgitte.

Circa annum domini 1354 cepit ordo sancte Birgitte principisse Suecie. qui ab hac sancta muliere inicium sumpsit. qui diam ordo sancti Salvatoris dicitur. Et habet duplia monasteria. sc. virorum et feminarum. Huius tamen religionis primum auctorem et institutorem sanctum Basiliū in Grecia fuisse dicunt. sed propter occasiones scandalorum tollendas ecclesia ante multa tempora talia monasteria dissoluit. Birgitta vero spiritu sancto inspirata hoc modo renouare visa est ut quilibet sexus in sanctis monasteriis habitaret.

De curte vpghen Oeuer.

Anno domini M^oCCC^oLV^o empta fuit curtis opghen Ouer in Byrh a quodam Bartoldo appelman¹⁾.

De bonis in Mensel.

Anno domini M^oCCC^oLVI^o comparata fuerunt quedam bona nostra in Mensel. a quodam Ghysberto de Bruychusen.

1) Birth ist Borst bei Wesel. Das nachfolgende Menseln liegt in der Nähe.

De curia in Nouimago.

Anno domini M^oCCC^oLVI^o curia Campensis in Nouimago prope Hezelpoerte situata. empta fuit pro puro allodio ab abbatissa et conuentu monasterii vallis Comitis. pro quadringentis et LXXXVII Clippeatis auri puri.

M^oCCC^oLX^o.

Vicesimus abbas Campensis Vullyngus I. de plize baccalarius sacre theologie. cepit anno domini M^o trecentesimo sexagesimo. Hic decem et octo annis laudabiliter rexit monasterium. quod in principio multis debitis aggrauatum repperit. sed in fine suo. quasi sine debitis et in magna libertate reliquit. Ipse eciam plures sustinuit persecutiones pro ordinis et sui monasterii libertatibus et iuribus defendendis. Obiit anno 1379. VI^o kl. februarii.

Anno domini M^oCCC^oLXIX^o Vullingus abbas Campensis ordinavit quod collationes ecclesiarum parochialium in Welueren et Benincusen debent fieri per abbatem Campensem et abbatissas prefatorum monasteriorum.

Anno domini M^oCCC^oLXXIII^o fuit quidam prior in monasterio Campensi dictus Henricus de Coethusen oriundus de Nussya. qui officium prioratus cum multis sibi commissis laudabiliter rexit. omnibus benivolus et gratus. memoriam sui reliquit posteris in benedictione merito recolendam.

De quadam actione contra pastorem Berckensem.

Eodem tempore interrupta fuit possessio et gubernatio ecclesie Berckensis per monachos Campenses et collata cuidam seculari dicto Henricus de Hambroeck sub certa competentia. Qui postea ingratius prauis consiliis nitens. mouit lites abbati et conuentui super incompetentia. Sed antequam inciperet agere contra eosdem impetravit in curia Romana relaxationem iuramenti quod fecerat in compromisso et sigillato per dominum Wilhelmum archiepiscopum Coloniensem. vt posset agere contra abbatem et conuentum predictos. super decisionis ecclesie Berckensi attinentibus et capella nostra in Bereka quod et fecit. Ista impetacio inchoata fuit anno domini M^oCCC^oLXXIII^o sub Vullingo abbe Campensi et post XI annos sub domino Wilhelmo abbe Campensi terminata qui et triumphauit contra prefatum

pastorem. Quapropter Urbanus papa V. confirmauit monasterio Campensi decimas in Euersael. Wynreswick et Gart contra prefatum Henricum Hambroeck pastorem ecclesie Berckensis et eius successores in perpetuum. Datum pontificatus sui anno sexto.

De quadam actione cum pastore de Replar.

Item tempore Vullingi abbatis dominus Jacobus pastor et rector parrochialis ecclesie de Replar¹⁾ male fauens sicut pastor de Berck habit longam actionem contra monasterium Campense de impetitione oblationum et missarum celebratione ante portam et de sepulturis mortuorum eligentium suas sepulturas in monasterio et ista impetitio fuit terminata et sententia diffinitiua in curia Romana in palatio causarum apostolico lata contra dominum Wesselum pastorem in Replar qui successit prefato domino Jacobo et fuit impositum sibi perpetuum sylencium de prefatis impetitionibus. Actum anno domini M^o CCC^oLXXIX^o 23. mensis Nouembris pontificatus urbani pape VI. anno secundo.

Et in causis contra prefatos pastores de Berck et Replar data fuit monasterio Campensi a generali capitulo Cysterciensium provincialis contributio ad subsidium.

Quomodo XVI calices fuerunt rapti.

Item temporibus domini Vullingi abbatis sicut relatione seniorum nostrorum audiuius. quidam sacrilegi raptore et fures maligni. habentes noticiam monasterii et dispositionem. sub noctis silentio ecclesiam monasterii per fenestram ascendentis armata manu intraverunt. Quorum quidam ad ianuas versus dormitorium et claustrum ducentes cum gladiis et arcubus se locauerunt. vt si forte aliquis superueniret ab ipsis trucidaretur. Alii vero interim capsam in qua calices repositi et clausi fuerunt a posteriori parte circa altare sancti Stephani murum transdientes confregerunt. et sedecim calices quorum unus aureus fuisse affirmatur. rapientes aufugerunt. Cuius saecule confraktionis vestigia vsque hodie sc. 1482 apud altare sancti Stephani in aquilonari parte ecclesie situatum in muro reparato adhuc manifeste apparent.

1) Replein bei Mörs. Die dahin gehörenden Urkunden, so wie die über Rheinberg stehen im Register des Copiaris ange deutet, im Copiar selbst finden sie sich nicht.

*Anno domini 1374 Corisantes ibant. Versus Ecce corizando
iam grex tribulatur in orbe.*

M^o CCC^oLXXIX^o.

Vicesimus primus Abbas Campensis Adam de Louenich. cepit anno M^o CCC^oLXXIX^o in die sancti Thome confessoris in X^{br} et prefuit annis tribus et paulo plus. Obiit in grangia Stroemoers ipso die victoris anno 1382. De ipsis hereditate habet monasterium redditus in Kempen.

Istius electioni presedit dominus Johannes abbas veteris montis cum quodam monacho Morimundensi nomine Johannis de bormonte ex commissione venerabilis domini abbatis Morimundi immediati patris abbatis specialiter directo. Eodem tempore adhuc monasterium Campense multis debitibus fuit obligatum. sicut ex inuentario tune conscripto per partes invenitur. licet superius de domino Vulling^o aliter scriptum euiam inueniatur.

M^o CCC^oLXXXII^o.

Vicesimus secundus abbas Campensis Wylhelmus II. de Colonia. cepit anno domini M^o CCC^oLXXXII^o (*VII nouembris*) et quasi viinti annis prefuit. Obiit vero in Colonia anno 1402. *III. nonas septembres.* Istius electioni presedit dominus Gerardus abbas Clareuallensis commissarius capituli generalis.

De officiatione ecclesiarum nostrarum.

Item temporibus istius Bonifacius papa IX. indulget. quod abbas et conuentus monasterii Campensis possunt per monachos suos ecclesiam Berckensem officiare. et alias ecclesias quarum iure patronatus collatores existunt. Datum pontificatus sui anno XIII^o.

Istud ius fuit interruptum *circa annos domini 1397* forte per preces et instantias archiepiscopi Coloniensis et admissus fuit ibidem plebanus secularis.

De fundationibus monasteriorum in Hoesden et Yselsteyn et Warmonda.

Anno domini M^o CCC^oLXXXII^o fundatum est monasterium corone domine nostre in Hoesden. Istud monasterium in principio fuit abbatia postea prioratus 1425.



Anno domini M^o trecentesimo LXXXVI^o illustris princeps Albertus palatinus Rheni, dux Bauarie. Comes Hollandie. Zelandie etc. qui prius anno 1382 pro remedio anime sue. vxoris ac progenitorum suorum donauerat abbatii Campensi locum in opido Hoesden pro construendo monasterio quod vocatur Corona domine nostre. Eciam postea vltiori deuotione ad ordinem nostrum accensus anno domini M^o trecentesimo LXXXVI^o donauit abbatii Campensi alium locum in Hollandia prope opidum Leydis dictum vetus teylinghe in parrochia de warmonda pro construendo ibidem monasterio nouo. qui prioratus esset. Vnde sicut prius in Hoesden. ita ad hunc locum transmissi fuerunt VII vel VIII monachi qui ibidem constructa domo habitare ceperunt. sed interim exortis guerris et parcialitate in hollandia profectum habere non potuerunt. Quamobrem cogente necessitate post sex annos locum illum relinquentes aliqui de ipsis fratribus reuersi fuerunt ad monasterium Campense. aliqui remanserunt in monasterio de yslesteyn tunc nouiter inchoato et relictus fuit ille locus vsque ad annum domini 1412 et tunc per alium fundatus.

Anno domini 1388 erat tam modica aqua in Reno ita quod in multis locis posset transsaltari, putei fuerunt exsiccati in tantum quod aqua reni per plateas colonie portaretur et venderetur¹⁾. Simile fere accidit anno 1634. Sub hoc abate anno 1388 Joannes dominus in Riefferscheid et in Bedbur ius patronatus ecclesie Bedburgensis 7^{ma} Aprilis cessit priori pro tempore ex ordine sancti Augustini ibidem existenti et successoribus eius quod alias una cum decimis maioribus ibidem credebatur pertinere ad abbatiam Campensem: quam cessionem Joannes XXII. auctoritate apostolica confirmavit a^r. 1464. uti ex archivio mihi communicato a^r. 1703 quo controversa omnia cum domino comite amice composita fuere.

Anno domini 1389 dominus fredericus Coloniensis archiepiscopus cepit munire fossatis opidum xanctis in profesto sancti Gregorii cum potentia et complevit in XXI diebus.

Anno domini 1390 Adolphus comes Cluensis in nocte sancte Agathe tamquam ignotus captus fuit in Reno ab opidanis in Rees. qui tunc sub episcopatu Coloniensi erant, nec tamen diu detentus mansit.

1) Dieselbe Nachricht bringt auch die Kölner Chronik, Bl. CCLXXXII.

Anno domini M^o CCC^o nonagesimo quarto fundatum est monasterium montis domine nostre in yselsteyn 2^o loco pro prioratu. quod ante plures annos abbatia fuisse dicitur et totaliter destructum in guerris,

Anno domini 1397 feria quinta ante pentecosten fuit bellum famosum iuxta Cliuis inter Wylhelnum ducem montensem et Adolphum comitem Cliuensem. qui triumphauit contra ducem Montensem et postea factus est dux in concilio Constantiensi 1410.

Circa annum domini 1398 magister Gherardus groet claruit sanctitate vite et scientia et incepit congregations fratrum. in dauentria et alibi et vocantur domus Clericorum. Qui eciam plures ad abbatem Campensem scripsit epistolas.

Eodem tempore claruit magister Henricus de Hassya doctor famosus sacre theologie et lumen ecclesie. contra hereticos. Ipse eciam egregium librum scripsit de commendatione sancti Bernardi. in quo precipue inuehitur contra maculationes sancti Bernardi.

De diuersis heresisibus.

Eodem tempore peruersa heresis Johannis Wycleff in Anglia et Johannis Hus in Bohemia ac Jheronimi de Praga pullulavit et multos infecit. Eciam tunc heresis Adamitarum pullulare cepit in Bohemia. sed statim extincta fuit. Erat enim nimis grossa et inuercunda. Nam nudi incedebant viri et femme et indecenter mutuo luxuriabantur.

M^o CCCC^o II^o.

Vicesimus tercius abbas Campensis Johannes II. de Buttenbroeck. Anno domini M^o quadringentesimo secundo in vigilia nativitatis marie circa horam vesperarum electus canonice in abbatem. prefuit vero annis XXI laudabiliter et resignauit anno 1423. Obiit vero anno 1426 VI nonis octobris et sepultus in posteriori parte ecclesie quam ipse prolongauerat et exaltauerat. Item in electione domini Johannis de bottenbroek presidebat dominus Johannes abbas veteris montis ex commissione domini bonifacii pape IX. eo quod in gallia scisma fuit contra eundem papam.

Berckervoirt.

Iste instaurauit curtem in Berckervoirt. iam multis annis desolatam et multis laboribus et expensis agros eiusdem curtis reduxit

ad culturam et in diuersis curtibus et grangiis ruinosa edificia instaurauit.

Temporibus eciā istius abbatis quidam monachus Campensis dicitus Euerardus de tushusen. fuit procurator ordinis in curia Romana.

De renouatione ecclesie Campensis.

Anno domini M^oCCCC^o decimo corpus ecclesie Campensis innatum fuit et magnis expensis in sublime erectum et de novo testudinatum. Et sequenti anno versus occidentem in longitudine XXV pedum prolongatum.

De 2^a fundatione monasterii in warimonda.

Anno domini M^oCCCC^oXII^o secundarie fundatum fuit monasterium portus domine nostre in warmonda per strenuum et devotum militem dominum Johannem de wouda. et tunc fuerunt illuc fratres de monasterio et prioratu de yselsteyn transmissi.

De capella ad portam.

Anno domini M^oCCCC^oXII^o capella ad portam monasterii fuit innouata et prolongata: Et maius Altare in honore beate marie et duodecim apostolorum consecratum fuit.

Anno domini M^oCCCC^oXV^o locus lectionis cum parte ambitus ad introitum ecclesie fuit ex toto instauratus.

De prioratibus sub paternitate abbatis Campensis.

Anno domini M^oCCCC^oXV^o colligatio prioratum facta fuit scilicet de Yselstein, de zybekeloe et warmonda. De istis monasteriis successu temporum alia monasteria prioratum fundata fuerunt sub certis articulis et modo viuendi.

Item ista forma colligationis prioratum per capitulum generale mutata et reuocata. anno 1489.

De renegatis paganis et iam conuersis.

Anno domini 1415 Sigismundus imperator per maxima bella reduxit habitatores iunioris egypti ad catholicam fidem quam ante LX annos abnegauerant et ad paganismum accesserunt. Quapropter pro penitentia est eis a sede apostolica impositum quod

sequentibus LX annis ex unaquaque genealogia ipsorum. per septem annos per christianitatem peregrinari deberent.

Anno domini 1416 iste Sigismundus imperator in die sancti Vitalis martiris in concilio Constantiensi creavit Adolphum commitem Clivensem cum magna sollempnitate in ducem.

M^o CCCC^o XXIII^o.

Vicesimus quartus abbas Campensis Johannes III. de Goch cepit anno domini M^o CCCC^o XXIII^o xv. die mensis Julii. et resignavit anno 1438 xii. die aprilis.

Item in resignatione domini Johannis de bottenbroeck abbatis et electione domini Johannis de Goch. presidebat dominus Henricus. Obiit vero in vigilia sancti Thome apostoli 1453.

Anno domini M^o CCCC^o XXV^o abbas Johannes de Goch disiunxit posteriorem partem ecclesie. per intersticium ligneum et separauit stationem et locum vulgi et laicorum. ne per eorum improbum discursum et strepitum per totam ecclesiam et claustrum. sicut facere consueuerant. amplius molestaretur conuentus.

Item anno 1426 abbatia corone sancte marie in Huesden mutata fuit in prioratum.

De magna pestilentia.

Anno domini M^o CCCC^o XXIX^o circa festum pentecostes fuit magna pestilentia in monasterio Campensi in qua breui tempore defuncti fuerunt duo priores unus post alium ordinatus et XII aliⁱ monachi sacerdotes. unus nouicias et II conuersi et alii familiares.

De cellario vini.

Anno domini M^o CCCC^o XXX^o instauratum et profundatum fuit cellarium sub refectorio longitudine centum pedum cum testudine latericia seu lapidea pro vino et potu reponendis.

De parte ambitus et dormitorii.

Anno domini M^o CCCC^o XXXI^o fenestre in refectorio fuerunt innouate in maiori et pulchriori forma cum cancellis ferreis in marmore conclusis. Eodem anno pars ambitus ante capitulum cum fenestris vitreis. ac pars dormitorii supra capitulum fuerunt instauratae et eleuatae.

Anno domini 1433 obiit in Hollandia opido Schydam Lyedwighis virgo vt pie creditur sancta. que mirabili infirmitate a puericia sua per plures annos detenta. vitam suam in patria et pace consummauit.

Anno domini 1434 fuit magnus ventus septima nocte Octobris qui multas arbores euulsit et multa dampna monasterio Campensi fecit. Ecce ruunt cedri cum vento¹⁾.

De venditione bonorum in koze et de emptione bonorum
in Wachtendonck.

Anno domini M^oCCCC^oXXXVI^o quedam bona monasterii dicta hize in Slavia situata. quondam a nobili principe Nycolao domino de Rostock donata propter plura grauamina et violentias et pericula tam animarum quam corporum. que ibi fiebant et quia modicos redditus inde monasterium percipiebat. vendita fuerunt consulatu ciuitatis de wystock pro nongentis florenis Renensibus aureis. pro quibus comparata fuerunt bona et decime in dominio de Wachtendonck²⁾.

M^oCCCC^oXXXVIII^o.

Vicesimus quintus abbas Campensis Henricus III. dictus de Nyephusen. cepit anno domini M^oCCCC^oXXXVIII^o et prefuit XIII annis. Obiit vero in Colonia in curia monasterii. ipso die Abdon et Sennes martirum anno 1452. sed de Colonia transuectus in curru ad monasterium. sepultus est cum patribus suis in domo capitulari circa medium noctis.

Iste electus fuit per viam compromissi. electoribus concorditer compromittentibus in venerabilem patrem dominum Johannem de Goch protunc resignantem dignitatem abbatialem et in ista electione presedit venerabilis dominus Gvido abbas morimundi. Iste abbas fuit benedictus in Colonia in capella curie monasterii Eberbacensis. qui non multum a curia Campensi distat circa Renum.

De constructione capellarum in ecclesia.

Iste secundo et tertio regiminis sui anno ecclesiam Campensem versus aquilonem. multis expensis et laboribus extendit et ampliavit.

1) Nachtrag von späterer Hand. Zwischen fecit und Ecce ist nachträglich noch „ex Dyonisi“ eingeschoben.

2) Vgl. die Campern Urkunden.

et multa altaria per capellas discincta in eodem latere. cum sacristia pro deuotione et commodo celebrantium sagaciter ordinavit. et competentibus ornamentis decorauit.

Eodem tempore sc. anno domini M^oCCCC^oXL^o circa festum sancti Andree consecrata fuerunt prefata altaria cum reliquiis diuersorum sanctorum inclusis. per venerabilem dominum Johannem episcopum Venecompenensem ordinis minorum et vicarium in pontificibus reuerendissimi domini Theoderici de Moersa. archiepiscopi Coloniensis.

De renouatione quorundam edificiorum.

Circa idem tempus prefatus abbas bibliotecam siue librariam in ambitu iuxta introitum ecclesie renouari fecit et testudinari. et libros augmentauit. Ipse etiam domum nouam supra puteum edificauit. Eciā domum sutrim quasi ex integro instaurauit. Item plura antiqua edifica. ruinosa. instaurauit et presertim curias monasterii in Colonia et Nussya in quibus bona et pulchra commoda industrie adaptanit ac cum sufficientibus utensilibus et necessariis honeste procurauit.

Item cellas in dormitorio de nouis et pulchris tabulis distincte construxit.

Item quasdam antiquas celaturas asserum sub solariis in abbatia et infirmitorio fecit picturis decorari.

De translatione domus beghinarum.

Anno domini M^oCCCC^oXL^o beghine siue sorores que in veteri Campo. vulgariter Aldevelt. ultra centum annos sub protectione et cura abbatis et conuentus Campensis habitauerant. propter tamen strepitum cohabitantium. et insolentias que in vicinis tabernis fabantur. cum permissione et voluntate abbatis et conuentus transtulerunt habitationem ad aliam curtem monasterii dictam Loemoellen. sitnatam inter monasterium et molendinum super dasbergh. ut ibi commodius et secretius domino in religiosa vita seruirent.

De malicioso incendio in Stroemoers.

Anno domini M^oCCCC^oXL^o in nocte sancti petri ad cathedram incensa fuit grangia monasterii Campensis dicta Stroemoers a quodam maligno homine et incinerata fuit eadem grangia

omnibus bladis et aliis bonis. preter capellam et domum abbatie. Et suffocati fuerunt ibidem circa XC porci. oves tamen euaserunt. equi et vacce pro maiori parte euaserunt. Actor tamen istius incendii circa tres annos mansit incognitus et tunc deprehensus in manifesto et nobili furto in Alpen. ibidem adiudicatus suspendio. cum staret in scala patibuli et laqueus hereret in collo. pecuit a iudice ut posset modicum loqui et audiri a circumstantibus et tunc confessus fuit quod ipse maliciose ad instigationem cuiusdam alterius sine causa incendisset Stromoers. Et erat nomen eius Reynerus bolten. Eodem tempore rector grangie fuit frater Gherardus Lueff de Gelria conuersus. Et reedificata fuit eadem cum magnis expensis et subsidiis amicorum precipue Wilhelmi Hamer ciuis Coloniensis et patris confratris nostri Ghysberti Hamer. qui multis annis fuit confessor in Eppynchouen.

Anno domini 1444 Gherardus dux montensis habuit victoriam contra Arnoldum ducem Gelrensem in die sancti Huperti episcopi.

Anno 1444 Susacia et xanctis ciuitates a dyocesi Coloniensi ad manus ducis Cliuensis venerunt.

De duobus monasteriis de Buyrloe.

Anno domini M^oCCCC^oXLVIII^o monasteria Orti sancte Marie in maiorि Buyrloe et vinee sancte Marie in minorи Buyrloe ordinis sancti wylhelmi. monasteriensis dyocesis. licentia et auctoritate domini Nicolai pape V. sponte per Henricum abbatem Campensem transtulerunt se de ordine sancti wylhelmi ad ordinem Cysterciensem et monasterio Campensi perpetue sunt incorporata. Actum circa festum palmarum et fuit ibi prior ordinatus de Zibekeloe pro noua institutione et informatione.

De monasterio Bottenbroeck.

Anno domini M^oCCCC^oXLVIII^o Capitulum generale Cysterciensium ad instantiam quorundam dominorum commisit abbatii Campensi. quatenus in monasterio de Bottenbroeck pro monialibus collocaret monachos. Fuit namque monasterium prefatum depauperatum et quodammodo desolatum in edificiis preter ecclesiam. et adhuc residencebant ibidem quedam inordinate et infames moniales. Quibus tamen

cum consilio fundatorum eliminatis. cum assignatione certe pensionis annue ad vitam earum. transmissi fuerunt illuc dominus hermannus kempis supprior Campensis in rectorem tam monasterii quam etiam parrochie annexe. Et fuit eidem associatus frater Arnoldus bremit infirmarius et postea sunt eciam alii fratres directi et quamvis difficulter tamen successu temporis profecit in edificiis et culturis agrorum et receptione personarum et factus est prioratus cum competenti conuentu.

De Jubileo.

Anno domini M^oCCCC^o quinquagesimo Conuentus et familiares monasterii Campensis tempore Nycolai pape V. habuerunt graciam jubilei.

De quibusdam edificiis.

Anno domini M^oCCCC^oLI^o edificatum fuit nouum infirmitorium pro monachis decumbentibus. in quo preter communem morem patrie collocatum fuit Altare versus aquilonem. Quod consecratum fuit eodem anno in festo Bartholomei apostoli. Et eodem die consecratum fuit altare in capitulo. quod violatum et instauratum fuerat. Item sequenti die consecratum fuit Altare in domo Beginarum sive sororum nostrarum.

Anno domini M^oCCCC^oLII^o Dormitorium conuersorum fuit renouatum et noue Celle constructe. Et eodem anno Domus torcularis ad introitum vinee. de nouo fuit instaurata. tempore ultime egritudinis prefati abbatis in qua et mortuus est.

M^oCCCC^oLII^o.

Vicesimus sextus abbas Campensis Henricus IV. de Ray. cepit anno domini M^oCCCC^oLII^o sexto die Septembris. et prefuit annis triginta et uno atque diebus XIII. Obiit vero in vigilia sancti mathei apostoli et euangeliste coram fratribus conuentualibus anno domini 1483 et sepultus in capitulo versus meridiem.

Iste fuit benedictus in Colonia in capella curie Campensis.

In ista electione presedit dominus Arnoldus abbas Campensis sancte marie cum assessore domino Johanne abate veteris montis ex commissione domini Johannis abbatis Morimundensis.

De quadam violatione emunitatis monasterii.

Anno domini M^oCCCC^oLIII^o circa festum translationis sancti Benedicti contigit duos qui homicidium in Alpen in conuiuio perpetraverunt. propter habendam securitatem transfugere ad monasterium Campense. Et post duos dies Castellanus protunc in Alpen Euerans quæde miles. eos armata manu insecurus. monasterium violenter intravit et vno predictorum infra emunitatem monasterii circa domum camere interfecto et lancea transfosso. alterum captum viuum secum abduxit. Et ille qui imperfectus fuit sepultus est in Replar. quia non potuit sepeliri in monasterio propter interdictum. Et propterea per quindenam interdictum fuit seruatum. donec compellerentur. per dominum Theodericum archiepiscopum Coloniensem et comitem de Nuwenar. vt eundem quem secum viuum violenter abduxerant: liberum et sanum in monasterio presentarent. Quod et fecerunt de mane ante missam et pulsate fuerunt campane et continenter cantata missa cum aliis horis. Sed ipsi de Alpen non permittebantur monasterium intrare. quod adhuc erant excommunicati propter violentiam prefatam. sed fuerunt refecti cibo et potu ante portam. Et sic reconciliati per penitenciarios archiepiscopi continenter fuerunt absoluti.

De peregrinatione puerorum ad sanctum michaelem.

Anno domini M^oCCCC^oLVI^o factus est magnus concursus puerorum et puellarum de ciuitatibus et villis quasi totius Almanie. qui per diuersas turmas. alii post alios perrexerunt proprio motu nec a parentibus detineri aut prohiberi poterant ad quandam Ecclesiam sancti michaelis in remotis partibus constitutam. Et omnes sani absque impedimento reuersi sunt ad propria. Sed quid significabat. aut quo fiebat instinctu. penitus ignorabatur.

De bonis dictis wyckray.

Anno domini M^oCCCC^oLVII^o propter speciale commodum monasterii quoad molendinum super dasbergh. comparata fuerunt bona dicta Wyckray videlicet curtis Auerbruyck cum aliis curtibus adjacentibus. cum omnibus pertinentiis et iuribus a Johanne de Bueren domino in Arsen pro mille et XL florenis Renensibus

aureis. Et stant sub redemptione. vt prorsus in literis desuper confessis¹⁾.

De baptismatione ducis Cluensis.

Anno domini M^oCCCC^oLVIII^o magnificus et illustris princeps Johannes dux Cluensis. (*Iste Johannes dux successit Adolpho patri suo in ducatu 1449.*) in natuitate filii sui primogeniti. quem peperit ei coniux sua illustris domina Elizabeth filia comitis de Stampis. misit ad abbatem Campensem dominum Henricum ardenter expetens. quatenus dignaretur prefatum suum primogenitum ad laudem dei baptisare. Quod et factum est IIII die mensis maii. cum magna sollempnitate in ecclesia sancte marie in Cluiis hora missarum. presentibus multis nobilibus et honorabilibus personis vtriusque sexus cum multa frequentia populi. Et vocatus fuit puer nomine patris sui Johannes. *Iste Johannes successit patri in ducatu anno 1481.* Et perfecta fuerunt ibidem omnia. sicut tales principem decuit in magna gloria. Et pro tali actu et beneplacito predictus dux. donauit abbatii Campensi cifum argenteum cum operculo suo. pulchrum et ponderosum. qui non immerito in memoriam tanti facti in monasterio consernatur.

De reclusione monasterii Sledenhorst.

Anno domini M^oCCCC^oLIX^o in festo sancte Cecilia virginis et martiris facta fuit auxiliante domino reformatio et inclusio monialium monasterii Sledenhorst in ducatu Cluensi sollicitante et cooperante. et larga subsidia prebente nobili domicella katherina sorore germana domini Adolphi olim ducis Cluensis. cum quo sepulta iacet ad Carthusienses prope Wesaliam. Et fuerunt ad monasterium Sledenhorst adducte reformatrices moniales religiose de Colonia. ex monasterio Seynensi que ad tempus ibidem permanserunt. sed vna ex illis ordinata in priorissam ibidem permansit. Ex eo tempore prefatum monasterium profecit. in spiritualibus et temporalibus ita quod edificia que prius pene omnia fuerunt lignea et fictilia sive lutea. postea fierent lapidea. Et etiam in breuibus annis totum monasterium. forti et alto muro spaciose est circumdatum.

Item pro reformatione monasterii Sledenhorst preter labores

1) Vgl. die Campener Urkunden.

*d sollicitationes abbas Campensis pro aptandis edificiis et septis
monasterii exposuit et donauit cum consensu sui conuentus. ultra
ducentos florenos Renenses aureos.*

Item circa hec tempora sub isto venerabili abbate ac eciam
successore suo fuit in monasterio Campensi quidam clericus dictus
Wilhelmus de Reno in habitu fratris donati perpetuatus et pro-
fessus. qui fuit scriptor egregius nulli illo tempore in arte sua
secundus. Iste scripsit plures libros scil. Catholicon. duo Anti-
phonaria. duo gradualia. missale preciosum pro summo altari et
alia diversa. Ab isto scriptore quidam fratres conuentuales in-
structi scripserunt preciosa Breuiaria et Diurnalia. Iste scriptor
post multos labores librorum obiit anno 1487¹⁾.

Item circa hec tempora fuit monachus et sacerdos ad tempus
supprior et postea pastor in ecclesia nostra Berckensi et scriptor
egregius qui scripsit quinque integra et perfecta missalia pro
monasterio Campensi. Qui obiit senex anno domini 1503. No-
men istius fuit frater Henricus de vetere ecclesia in terra Gel-
rensis²⁾.

De novo horologio.

Anno domini M^oCCCC^oLXI^o fabricatum fuit in monasterio Cam-
pensi nouum horologium. quod sonat in campanis plenas et medias
horas. et etiam habet cymbalum cum paruis nolis. et alia artificialia.

Anno domini 1463 Robertus de Bavaria concorditer fuit elec-
tus in archiepiscopum Coloniensem. Eodem anno et tempore circa
festum Pasche fuit magna habundantia victualium diuersorum et
in bono foro. Ita in Colonia secundum cursum communis fori.
pro tribus flor. ren. qui faciunt XII marchas colon. emebantur.
vnum maldrum silihinis. vnum maldrum hauene. vnum maldrum
trifici. vnum maldrum ordei. vna tonna siue vas allecium. vna
quarta boni vini. vnis bonus pullus saginatus. vnum talentum
de recentibus carnis. vna Riga siue 4^o panes: omnia predicta
pro tribus flor. renen. Et de istis continenter habentur (?) et
tali precio emebantur.

1) Diesen Wilhelm de Reno halten wir aus später anzuführenden Gründen für
den Chronikschreiber.

2) Späterer Zusatz von der Hand des Fortsetzers der Chronik bis zum Jahre 1504.

maldrum siliginis . . . **XIIII** albis
„ hauene . . . **VIII** „
„ tritici . . . **XVIII** „
„ ordei . . . **XIII** „
Tonna allecium . . . quinque marchis.
Quarta boni vini . . . I alb.
Item panis siligineus de pondere XXXII loet vel circa pro uno
denario scil. haller.
„ „ triticeus „ „ **XIX** eciam pro **I** denario
scil. haller.
„ vnum talentum mediocris butiri pro **IIII** den. scil. hall.
Sed vnum talentum de meliori butiro pro **VII** den. siue hallis.
Item anno eodem circa festum martini vendebatur in colonia
*vnum maldrum tritici melioris pro **XV** albis.*
*Item vnum maldrum siliginis pro **XII** albis. Item maldrum*
*ordei **XI** albis. Item maldrum hauene **VII** albis. Item **I** quarta*
*vini. boni pro **X** den. scil. haller.*
Item anno sequenti scil. 1464 in festo Gereonis et Victoris
***I** quarta vini competentis pro **II** den. scil. haller¹⁾.*

De quodam incendio.

Anno domini M^oCCCC^oLXIII^o in media nocte subsequente festum sancti Felicis in pincis (14. Januar) exortum fuit inopinatum incendium in monasterio et combusta sunt domus quedam. a latere domus Camere. in opposito refectorii hyemalis situata. in qua preter alia aliqui libri. cum multo pergameno nouo ad valorem centum et XX florenorum Renensium incendio perierunt. Et cum magnis laborebus alia edificia ab incendio seruata fuerunt. Item ab isto tempore et continenter libri monasterii tam in scriptura. quam etiam correctura. et ligatura fuerunt studiose emendati. precipue in missaliibus et Cantualibus.

Deportatio sancti victoris in xanctis.

Anno domini M^oCCCC^oLXIII^o facta est deportatio sancti Victoris martiris gloriosi in Xanctis. cum magna sollempnitate. et

1) Nachtrag auf einem besonderen Zettel von der ursprünglichen Hand. Bkl. Kölner Chronik, Bl. 316.

convocatione omnium ecclesiarum sub archydiaconatu xanetensi. et fuit ibi presens dux Cliuensis Johannes cum tribus filiis suis. Et fuerunt tunc vt fertur ibidem vltra XX milia hominum promiseui sexus et etatis. Actum in festo sancti Bernardi abbatis.

De quodam cremento vini.

Anno domini M^oCCCC^oLXIII^o fuit annus satis fertilis et beneficit dominus vinee monasterii Campensis in bono cremento. Sed exorta fuit magna tempestas ventorum in festo sancti mathei que multas confregit vites et aliquas grauiter collisit ita quod extunc colligi oportebat. Nichilominus de cremento illius anni peruenit ad cellarium et in vasa repositum est ad XXXVI karratas et fuit competenter bonum.

De reclusione in Sterckerode.

Anno domini M^oCCCC^oLXV^o octaua die mensis Januarii facta fuit reformatio et reclusio monialium monasterii riuali sancte marie in Sterkrade. sollicitante domina Hadewyghe de loe. abbatissa ipsius monasterii. et cooperante domino duce Cliensi. nec non domino Johanne de loe milite. et fratre germano Hadewighis abbatisse antedicti. Qui etiam de facultatibus suis. omnia ruinosa edicia monasterii reparauit. et totum monasterium nouo muro circumdari fecit.

Insuper et plures annuos redditus donauit. Et extunc ipsum monasterium profecit in spiritualibus et temporalibus. fuerunt autem reformatrices primo. vna monialium prefati monasterii. que ante reformationem istam amore perfectioris vite a monasterio Sterckroede transierat ad monasterium de Pratis. disciplinatum et reclusum. sed tempore reformationis. reuocata extitit. pro noua institutione regularis et religiose vite. Fuit etiam quedam alia reformatrix de remoto monasterio que consanguinea fuit domine abbatisse Hadwighis.

Item pro reformatione istius monasterii abbas Campensis preter labores. expedit vltra XX florenos Renenses aureos.

De reclusione monasterii Eppinchouen.

Anno domini M^oCCCC^oLXV^o feria sexta post festum pasche. que tunc euenit XIX mensis aprilis. facta fuit reformatio et reclusio monialium monasterii Aule sancte marie in Eppynchouen prope Nusquam. sollicitante domina margarita de Auerdonck abbatissa ipsius

monasterii. et multis christifidelibus ad hoc perficiendum larga beneficia prestantibus. Et fuerunt illic reformatrices de vicino monasterio Vallis gracie adducte per aliquod tempus. Et profecit idem monasterium in regulari obseruantia et edificiorum reparatione et aliis. Ceterum pro reformatione istius monasterii preter labores. pro quibusdam necessariis exposuit abbas Campensis ultra XXX florenos Renenses aureos.

De reformatione montis principis.

Anno domini M^oCCCC^oLXVII^o circa festum sancti Benedicti in XL^{ma} facta fuit reformatio et cum multa difficultate reclusio monialium monasterii montis principis iuxta xanctos. volente. sollicitante ac precipiente illustri principe Johanne duce Cluensi. Et fuerunt illie primo adducte reformatrices de monasterio vallis gracie ad tempus. Et post illas quedam ad tempus ex monasterio Sledenhorst.

Item pro reformatione et inclusione istius monasterii abbas Campensis pro instaurandis quibusdam edificiis et aptandis donauit et exposuit centum et X florenos Renenses aureos.

Item in reformatione istius monasterii plures moniales reclusionem et regularem vitam abhorrentes exierunt. aut ex commissione prefati ducis Cluensis. brachio seculari et armata manu educte fuerunt. sed tamen successu temporis pene omnes inspirante deo. ad suum monasterium. reclusionem acceptantes redierunt.

De monasterio veteris montis.

Anno domini M^oCCCC^oLXVII^o sexta die mensis Augusti per resignationem domini Johannis Slebus abbatis monasterii veteris montis electus et constitutus fuit ibidem abbas venerabilis dominus Arnoldus abbas monasterii Lenyn et doctor sacre theologie. presentibus abbate Campensi et abbate de Campo sancte marie et abbate de Eberbaco. Eodem tempore ex ordinatione venerabilis patris domini Guillermi abbatis morimundi. prefate electioni presidentis. de consilio aliorum abbatum presentium. pro reformatione prefati monasterii veteris montis. transmissi fuerunt ex monasterio Campensi post diem assumptionis marie frater Henricus de kalkar supprior. qui ibi prior fuit ordinatus et frater Henricus de vetere ecclesia cantor. qui ibidem perseverauerunt vsque post festum pasche.

De conflictu prope Stralen.

Anno 1468 leodium fuit destructum per ducem Burgundie¹⁾.

Anno domini M^o CCCC^o LXVIII^o in vigilia nativitatis sancti Johannis baptiste fuit conflictus inter ducem Gelrensem et ducem Cliensem

1) Neben die Zerstörung Lüttichs, so wie überhaupt über Karl's des Kühnen fangerische Thätigkeit enthält die Chronik auf einem eingehefsteten Blatte folgende Verse aus der gleichen Zeit:

Excidium leodii.

Desine sublimes in auras tollere vultus.
Nosce meo casu. nec dare firma deos.
Nobilitatis ego leodis venerabile signum
Gentis et invicta gloria nuper eram.
Sum modo ridentis spectaculum turpe popelli
Et testor karoli me cecidisse manu.

Datum de obsidione nucie.

BeLLans qVIRIne MILES sVCCVrre nVCle.

De morte comitis anguillarrii in obsidione nucie.

Ne busti locus aut sit cassa memoria leti
Aspice qui transis tristia fata viri
Conditur hac reni comes angwillarius vrsus
In ripa fluminis dum fuit ille ducis
Magni commilito karoli dum nucia castris
Cingitur et tures quassa lapis dirimit
Ictu bombarde simili cadit illius ergo
Dum se custodem concitat intrepidum.

De morte karoli ducis borgundie.

Alter Alexendar alter Judas machabeus
Atque potente leo karolus hoste cadit.

Karole magnipotens vndenis belliger annis
Alter alexander cuspidis ore cadis.

Karolus armipotens pedibus non prebuit alas
Constans elegit bellica iura pati.

Karolus occubuit et campos corpore texit
Cecidit in bello victus vigilia regum.

Fortis in vngue leo cecidit quem Nancia vicit.

Dux nanci cecidit plebem qui dire cecidit.

Nancia cantat ephi vietrix nam fit ducis alti.

prope opidum Stralen et ceciderunt vulnerati multi ex vtraque parte. E quibus de parte Adolphi ducis Gelrensis duo milites. scil. Mathias de Eyl et Scephardus de Bornem. mortui. transvecti fuerunt ad monasterium Campense et in festo sancti Johannis coram domo capitulari in vno tumulo sepulti.

Anno 1469 V die nouembris ex commissione Pauli pape II. abbas Campensis transtulit monasterium Regularium de Oestrum ad locum dictum sancte marie ad arenam prope Stralen. sollicitante Adolpho duce Gelrensi.

De clenodiis monasterii translatis.

Anno domini 1469 in festo sancti Ambrosii omnia clenodia monasterii cum monstrantibus reliquiarum ac ornamentis ecclesie. et calicibus extunc septem. cum melioribus ornamentiis ecclesie translata fuerunt ad monasterium Carthuensium prope Wesaliam et hoc propter timorem obsidionis opidi et castri Berckensis fiende per dominum Ropertum archiepiscopum Coloniensem et Adolphum ducem Gelensem contra Henricum dominum de Ghemen. qui prefatum opidum cum castro ab archiepiscopo colonensi impignoratum detinebat. Et reportata fuerunt omnia anno 1470 in festo sanctorum Cosme et Damiani. Similiter anno domini 1473 circa festum sancti Georgii omnia clenodia et preciosa monasterii deportata fuerunt ad opidum Berckense et ad alia loca propter aduentum karoli ducis Burgundie. qui cum magno exercitu aduenit. ad subiugandum sibi ducatum Gelensem. Et fuerunt omnia reducta ad monasterium eodem anno circa nativitatem marie.

De nouo vino in festo Sixti.

Anno domini M^oCCCC^oLXXI^o ver calidum fuit et bene temperatum et cepit vinea florere circa medium mensis maii et eodem anno in festo sancti Sixti. (Aug. 6.) misse cum nouo vino in ecclesia Campensi fuerunt celebrate. Et continenter in festo sancti Bernardi de bono nouo vino amministratum fuit conuentui ad refectionem et deinceps. Quod non fuit factum in memoria hominum.

Anno domini M^oCCCC^oLXXIII^o in medio mensis marci cuperunt florere arbores cerasorum et pumellorum. Et in principio aprilis floruerunt poma et pira. Et continenter circa medium maii vinea



fuerunt. Et in festo sancti hexti misse cum nouo vino fuerunt celebre. Nec creuit in multis retro annis vinum tam valens et forte. et erat circa XXⁱⁱ karratas.

De magna siccitate.

Illo anno pauca blada et fructus in multis locis creuerunt propter diurnam siccitatem et magnum calorem. qualis non fuit in recordatione hominum.

De obsidione Nouimagii et de dampnis monasterii.

Anno domini M^oCCCC^oLXXIII^o Karolus dux Burgundie circa festum pentecostes cum multis milibus armatorum intrauit ducatum Gelrensem et obsedit opidum Venloe et circa festum sacramenti obtinuit. Deinde procedens obsedit Nouimagium et in breui tempore obtinuit. et postea omnes, alie ciuitates eius se dominio subdiderunt. quia dominum ipsorum Adolphum ducem Gelrensem in captiuitate in flandria detinebat.

Item tempore obsidionis et captionis Nouimagiensis. domus curie nostre iuxta Heselpoerte situata. fuit multipliciter ictibus bombardarum perforata et conquassata ita quod postea vix potuit centum florensis renensibus restaurari. Item altare eiusdem domus fuit scissum et violatum. Quod denuo fuit in alio loco domus ordinatum et de nouo consecratum Anno domini 1478 in festo sancti Dominici confessoris.

Item tempore obsidionis Nouimagiensis omnes ville et ecclesie per circuitum fuerunt deuastate et spoliata et habitatoribus earum. aliis captis. aliis occisis. aliis depauperatis. multa loca remanserunt sine habitatoribus et agri optimi absque sufficientibus cultoribus. Postea vero adhuc aliis atque aliis guerris succedentibus per maxima dampna in Haren et attinentiis eius pertulit monasterium Campense. in diuersis grauaminibus exactionibus spoliis vexationibus. sperantes spem pacem prouenturam. sed nondum venit infra decem sequentes annos (1483). Et modicum habuimus tam de curtibus quam de decimis ecclesiarum.

De obsidione Nussiensi.

Anno domini M^oCCCC^oLXXIV^o in crastino sancti Panthaleonis prefatus karolus dux Burgundie adueniens cum exercitu vt fertur

sexaginta milium obsedit ciuitatem Nussiensem decem mensibus in fauorem Roperti archiepiscopi Coloniensis. qui Nussiensibus inimicatur. et per multiplices iactus et ictus bombardarum diuersarum. confregit portas. turres ciuitatis. Et quamvis per diuersos aggressus. ascensus ac machinas ac eciā suffossiones murorum. ipsam ciuitatem sepissime et ingeniose debellare aut capere temptauerit repulsus spe preualere non potuit. Tandem propter aduentum frederici imperatoris. qui in Colonia cum pluribus principibus et exercitu copioso aduenerat. obsidionem intermittere et abscedere compulsa fuit circa festum nativitatis sancti Johannis baptiste Anno 1475. Et per tempus istius obsidionis nussiensis. omnes ville et ecclesie per circuitum. sicut iuxta Nouimagium fuerunt spoliatae destructae et desolate. excepto eo quod incendia raro facta fuerunt. Istis temporibus bona monasterii in karstforst cum attinentiis suis fuerunt desolata et plura dampna et grauamina in aliis grangiis fuerunt illata.

De debitis.

Et sic occasione guerrarum predictarum ducis Burgundie et eciā annorum sterilium et eciā quod omnia victualia in piscibus. butiro. sale. vino et aliis erant in caro foro. monasterium Campense fuit grauatum debitum. quasi decem milium florenorum Renensium.

Item in principio istius obsidionis monasterium vallis gracie deuastatum et spoliatum fuit. et abbatissa cum monialibus suis expulsa. Sed in monasterio Eppynchouen. domino disponente. abbatissa et moniales permanserunt. licet continue in timore et expectatione destructionis fuerunt.

De clenodiis monasterii translati.

Item tempore obsidionis Nussiensis dominus Ropertus archiepiscopus Coloniensis cum curialibus et ministerialibus suis in vigilia nativitatis domini ieunus venit ad monasterium Campense et denote diem natalis domini sollempnizans in festo sancti Stephani prandio facto iterum cum suis abscessit et rediit ad ducem Burgundie in exercitu consistentem.

Item propter aduentum sepedicti ducis Burgundie ad obsidionem opidi Nussiensis. omnia clenodia monasterii et ornamenta ecclesie cum reliquiis in argento vel auro inclusis et omnibus calicibus. demptis septem vel octo cum omnibus libris quibus carere potuimus.

deportata fuerunt ad Wesaliam et ibidem ultra annum permanserunt in monasterio sancti Johannis. Item ornamenta Capelle ad portam monasterii cum quibusdam reliquiis. deposita fuerunt in opido Gelensi. que omnia ibidem incendio perierunt in ebdomada pasche 1475.

De quodam subsidio collecto per abbatem campensem pro
monasterio Eppynchouen.

Anno domini millesimo CCCC^o septuagesimo quarto et quinto quando illustris princeps karolus dux Burgundie obsederat opidum Nussylene. tunc monasterium de Eppynchouen dampnificatum et oppressum fuit valde. tam in rapinis quam incendiis grangiarum. excisionibus nemorum. conculationibus agrorum et bladorum. vt quasi pre penuria et paupertate. domina abbatissa cum suis monialibus et sororibus monasterium. tamquam desolatum relinquere cogeretur. sicut in vicino monasterio vallis gracie factum fuerat. nisi christifidelium subuentationibus et elemosinis sustentarentur. In primis multa victualia de monasterio Campensi tempore prefate obsidionis directa et transmissa fuerunt pro conseruatione eiusdem monasterii. Et eciam in exercitu prefati ducis apud capitaneos et principes multipliciter laboratum fuit vt conseruaretur a desolatione. Insuper cessante obsidione abbas Campensis sollicite cogitans de subleuatione prefati monasterii vnum de fratribus Campensibus sc. Jacobum boill sacerdotem cum literis conquestualibus direxit ad prelatos aliorum monasteriorum pro colligendo subsidio. qui omnes secundum facultates suas. manus porrexerunt adiutrices prout hoc sequitur.

Dominus Henricus abbas de Aedwart dedit XII½ florenos Renenses
et II stufferos.

Dominus Abbas de Claro Campo duos florenos Renenses.

Dominus Abbas de florido Campo duos florenos Renenses.

Dominus Abbas de Iherusalem duos florenos postulatos.

Dominus prepositus in Bethleem ordinis Regularium IIII florenos
Renenses et VI albos colonienses.

Dominus prior in Zybekeloe duos florenos Renenses.

Dominus prior in Yselsteen vnam coronam auream.

Dominus prior in Warmonda XV albos Colonienses.

Domina abbatissa et monasterium in Honepa 4^{or} flor. Renenses
et vnum vas Butiri valens protunc VIII florenos.



Domina abbatissa et monasterium in Assen in frisia II $\frac{1}{2}$ flor.
Renenses.

Domina abbatissa et monasterium in Lewenhorst duos flor. Re-
nenses et VIII stufferos.

Domina abbatissa et monasterium ad sanctum Seruatium in tra-
iecto IX flor. Renenses.

Domina abbatissa et monasterium Vallis Comitis III $\frac{1}{2}$ flor.
Renenses.

Domina abbatissa et monasterium in Sledenhorst quinque malda
silihiginis.

Confessor in Sledenhorst frater Godefridus cum matre sua III
flor. Renenses.

Sorores in ciuitate Delfft in Hollandia duos flor. Renenses et
V stufferos.

Domina abbatissa et monasterium vallis sancte marie prope tra-
iectum duos florenos.

Domina abbatissa et monasterium in Ruremunda III flor. Re-
nenses.

Domina abbatissa et monasterium in monte principis¹⁾.

Anno domini M⁰CCCC⁰LXXIII⁰ in crastino sancti Panthaleonis
incipiente obsidione opidi Nussiensis per accessum illustris principis
karoli ducis Burgundie cum multis milibus armatorum. monasterium
vallis gracie ordinis nostri fuit deuastatum et rebus omnibus absque
misericordia spoliatum et pro parte in quibusdam edificiis destructum.
Insuper domina abbatissa cum suis monialibus fuit expulsa. Prefata
abbatissa in merore obit. et moniales ad alia monasteria ordinis
transmisse fuerunt. Sed cessante obsidione et redditu pace congre-
gate sunt miserante domino. dispersiones earum et ex auxiliis et
largitionibus fidelium reedificauerunt destructa et ad bonum statum
et ordinis obseruantiam iterum peruererunt.

De reformatio[n]e in Sarne.

Anno domini M⁰CCCC⁰LXXVI⁰ in festo sanctorum martirum
Gordiani et Eppymachi. facta fuit reformatio et reclusio monialium
monasterii Aule sancte marie in Sarne. et pro ista reformatio[n]e
multis annis fuit laboratum.

1) Hier bricht die Nachweisung ab, ohne den Posten auszufüllen.

Et fuerunt illuc adducte primo reformatrices de Eppinchouen. que
tempus ibidem eas instruxerunt et in obseruantia precesserunt.
Postea resignante abbatissa de Sarne electa et ordinata fuit ibi ab-
batissa de monasterio Sterckerode. que tunc aliquas secum de suo
monasterio assumpsit. que ibidem etiam ad tempus permanserunt. Et
profecit istud monasterium notabiliter in temporalibus et spiritualibus.

*Item pro reformatione monasterii in Sarne abbas Campensis
pro adaptandis et disponendis quibusdam edificiis exposuit ultra
centum floren. Renenses aureos ac de suis clenodiis argenteis
alique vendidit ad subsidium.*

*Anno domini M^oCCCC^oLXXVII^o in nocte sequente festum
sancti bernardi fuerunt tonitrua magna et per ictum fulminis.
confacte fuerunt quedam trabes in molendino nostro super Das-
tergh atque ab eodem fulmine fuit incensum. sed per industriam
molendiiorum cum ceruisia fuit extinctum¹⁾.*

De reformatione in Beninchusen.

Anno domini M^oCCCC^oLXXVII^o in festo sanctorum quatuor
coronatorum. fuit reformatum et reclusum monasterium in Bennyc-
husen cooperante nobili domino de lippia et fuit ibi ordinata et
adducta abbatissa cum aliis reformatricibus de monasterio kentrop.
*Item pro reformatione istius monasterii quodammodo desolati
donauit abbas Campensis. tam in debitis relaxatis. quam in
promptis pecuniis ultra centum floren. aureos.*

Item ex prescriptis monasterii monialium per abbatem Campensem
reformatis. plures moniales reclusionem abhorrentes ad alia mona-
steria non inclusa se transtulerunt. vel apud parentes vel amicos
seculares ad tempus remanserunt. sed tamen procedente tempore
quasi omnes deo inspirante ad propria monasteria reformationem ac-
ceptantes redierunt.

De instauratione pristini.

Anno domini M^oCCCC^oLXXVIII^o medietas domus pristini fuit
instaurata et magnis expensis in sublime erecta. disponente domino
Theoderico Zonsbeck. protunc cellario monasterii.

1) Einschleissel von der Hand des ersten Fortsetzers der Chronik.

De carentia allecium quasi ad duos annos.

Anno domini M^oCCCC^oLXXIX^o valde pauca fuerunt alleca in alemannia eo quod rex francie inimicaretur Maximiliano duci austrie et Burgundie et omnibus ditioni eius subiectis. Et direxit naues bellicas super mare. cum multitudine armatorum qui ceperunt Hollandinos et alios capientes alleca et captiuos cum nauibus et allecibus abduxerunt. nec vterius capturas allecium fieri permiserunt. vnde et alleca protunc rara et cara erant et si aliquando haberri poterant aliis dignioribus fereulis preferebantur. Et sequenti anno vix raro et in caro foro haberri poterant.

Item contigit annis 1665 et 1666 propter bellum nauale Anglos inter et Hollandos ambos haereticos. idem contigit annis 1672 et 73 propter bellum inter reges franciae et Angliae ex una et foederatos hollandos ex altera exortum ita ut pro una ama halecum dederimus in quadragesima 28 imperiales daleros.

Anno domini M^oCCCC^oLXXX^o fuerunt tempora cara in bladis. vino. carnis. piscibus. butiro et oleo et aliis. et durauit per tres annos.

De asperrima hyeme.

Anno domini M^oCCCC^oLXXXI^o post festum nativitatis christi fuit hiemps asperrima et frigus quodammodo intollerabile. in quo olineta et vineta perierunt. id est arbores nucum et vinee in multis locis pro magna parte perierunt. Et eo tempore in vinea Campensi pauce vites euaserunt que virides permanserunt. Sed tandem circa festum Johannis. ex radicibus repullulare ceperunt et sic illo anno nichil penitus de vino creuit.

Anno vero sequenti sc. 1482 vix vnam karratam vini habuimus. idem contigit A^o. 1629.

Anno domini 1481. 7. die septembbris obiit illustris princeps Johannes dux Cliuensis specialis fautor et defensor monasterii nostri et cooperator reformationis trium monasteriorum monialium sub abbe campensi. Et successit eidem Johannes filius ipsius. quem abbas Campensis baptizauit 1459¹⁾.

1) Einschreibsel des nächsten Fortsetzers der Chronik.

De noua vnione et possessione ecclesie Berckensis.

Anno domini M^o quadringentesimo LXXXI^o secundum morem Romane Curie sed secundum morem alemannie LXXXII^o decimo kalendas aprilis sc. XXIII^a die marcii dominus Sixtus papa II. pontificatus sui anno XI^o de nono incorporauit et vniuit ecclesiam parochialem opidi Berckensis monasterio Campensi per liberam resignationem domini Rudzeri de thoßen pastoris eiusdem ecclesie. Et sortita est hec vnio effectum eodem anno in festo translationis sancti Martini. quum acceptata fuit possessio prefate ecclesie per fratrem Henricum priorem Campensem hora vesperarum. presente venerabili viro magistro Johanne de Arsen preposito ecclesie sancti spiritus in Ruremunda¹⁾. et clero ecclesie et pluribus de consulatu et continenter nomine abbatis et conuentus Campensis in pastorem illius ecclesie presentatus fuit archidiacono xanctensi frater Johannes dictus de Nyephusen protunc cellararius monasterii. et post proclamationes in ecclesia consuetas inuestitus fuit et introductus in crastino translationis sancti Benedicti et post alterum diem exhibitum fuit sollempne coninium in domo dotis omni Clero et consulatu et potioribus ciuitatis ac aliis amicis presente domino abbatte. priore cum aliis senioribus monasterii. *Iste prefuit ecclesie Berckensi anno uno et diebus quinque. Infirmatus fuit in Bereka de pestilentia et fecit se defiri ad monasterium. die 3^{ta} obiit. Sed pro desiderio consulatus et ciuium opidi Berckensis ac eciam pro confortatione iuris nostri nouiter aquisiti deportatum fuit corpus eius in curru ad Berckam et in choro ecclesie parochialis sepultum anno 1483. XVII mensis Julii.*

Isti successit frater Henricus de vetere ecclesia portarius. nomine abbatis et conuentus inuestitus et introductus in festo sancti Sixti. eodem anno²⁾.

Causa autem vel necessitas prefate vnionis et noue incorporationis. seu antiqui interrupti iuris renouationis fuit hec. quia quidam magistri Collegii porte celi in vniuersitate Erfordensi. sicut auisatum nobis fuit. oriundi de Bereka moliebantur obtinere ecclesiam Berckensem qualicunque modo potuissent et priuare monasterium iuribus et

1) Vgl. Binterim u. Mooren IV, 437 ff.

2) Randbemerkung von der Hand des Chronikschreibers.

attinentiis prefate ecclesie. Et nichilominus abbas et conuentus remanerent obligati capitulo ecclesie sancti Cuniberti in Colonia de pensione annua. XL flor. renensium aureorum grauioris ponderis solvendorum. ratione contractus eiusdem ecclesie cum prefato Capitulo sancti Cuniberti habiti anno 1396. Quapropter matura deliberatione prehabita cum consilio iurisperitorum ac sapientium bene fauentium monasterio. prefata noua vnio impetrata fuit per magistrum Johannem de Arsen prepositum ecclesie sancti spiritus in Ruremonda. et cum multis laboribus et expensis iterum peruenit monasterium ad possessionem ecclesie Berckensis. Attendant igitur presentes et futuri successores nostri. tales difficultates et expensas et sine interruptione manuteneant possessionem eiusdem ecclesie. Recogitent etiam quid fecerit aut quomodo egerit cum monasterio Dominus Henricus de Hambroeck olim pastor sepedicte ecclesie Berckensis anno 1373. de quo supra habetur. sub domino Wullingio. XX^o abate Campensi et preter istum eciam sepius lites habuit monasterium cum pastoribus ecclesie sepedicte sicut literarum documentis plenius comprobatur.

De quodam incendio.

Anno domini 1483 in festo sancti Roberti. infra cenam ortum fuit incendium in quadam domo inter capellam ante portam et horreum militare. Quod adiuuante domino. per labores fratrum et familie ac quorundam hospitum tunc presentium fuit suffocatum et absque magno dampno extinctum.

De visitatione abbatis Cystercii.

Anno domini M^oCCCC^o octuagesimo tertio reuerendissimus pater dominus Johannes abbas Cystercii preter morem predecessorum suorum personaliter partes Germanie intravit. ad visitandum ordinis monasteria et vbique sollempniter. vt decuit. cum honore susceptus fuit. Tandem a monasterio veteris montis descendens in Nussya a Campensisibus occurrentibus susceptus. ibidem pernoctauit. Atque sequenti die qui erat octaua ascensionis domini. cum domino Arnaldo abate veteris montis ac domino Johanne abbe de dulci valle et comitina eorum deductus ad monasterium Campense. honorifice et processionaliiter susceptus est circa meridiem et consequenter visitationis officium expleuit. Missam in die pentecostes sollempniter celebrauit. Feria

tercia sequenti. de mane valefaciens nobis per wesalam per nos deductus et ibidem prandens a quibusdam fratribus de Buyrloe illic sibi occurrentibus deductus est ad monasterium Buyrloe. Deinde ad Zibekloe. postea ad Aedwart et frisiam et ibidem monasteriis visitatis diuertit ad Campum sancte marie in westphalia. Atque ultius ad Hassyam, Saxoniam, thuringiam etc.

De ordinatione et registratione priuilegiorum et literarum
monasterii Campensis.

Anno domini 1482 collecta et decenter reposita sunt priuilegia registra instrumenta autentica cum diuersis aliis literis sigillatis de bonis et libertatibus monasterii nostri Campensis et cum magna diligentia et per ordinem alphabeti iuxta dormitorium in cammera testudinaria et cum ianuis ferreis et ab incendio ut putabatur bene prouisa et in nouis capsulis distincte locata et continentem per manum notarii publici in uno volumine de verbo ad verbum integre et correcte descripta et singule copie per manum notarii subscripte. Et vtinam a successoribus nostris debite conseruentur ne perdant¹⁾.

Et ista dispositio tunc temporis fuit facta per fratrem Henricum de Kalker priorem monasterii. postea abbatem Campensem. Item per fratrem Stephanum van der Schuren capellanum abbatis. qui ante ingressum ordinis ad tempus studuerat in iure canonico et postea promotus fuit in doctorem iuris canonici. Item per fratrem Hermannum kraen de Colonia baccalarium in artibus. subcapellanum abbatis²⁾.

De destructione monasterii Yselsteyn.

Anno domini 1483 destruunt et combustum fuit monasterium nostrum. prioratus in Yselsteyn occasione guerrarum. que fuerunt inter Traiectenses ex vna et dominos de Yselsteyn et Hollandinos alia ex partibus.

1) Einschriebel von der Hand Heinrich's von Kalkar. Das berühmte Copiarium ist noch vollständig vorhanden.

2) Gleichfalls von Heinrich's von Kalkar Hand.

De magna pestilentia.

Anno domini 1483 fuit magna pestilentia in Colonia et Nussya ac Bercka et in circumvicinis locis ac cinitatibus. Quo tempore etiam plures de monachis et familiaribus monasterii Campensis. tam intus quam exterius in grangiis et in monasteriis monialium obierunt.

De obsidione ciuitatis traiectensis.

Anno domini 1483 Maximilianus filius frederici imperatoris. dux Austrie Burgundie Brabantie etc. cum maximo exercitu obsedit ciuitatem traiectensem in favorem domini Dauid de Burgundia episcopi prediche ciuitatis traiectensis. qui a suis ciuibus traiectensibus et in complicibus captus tenebatur in ciuitate Amersfoirt. Capta vero ciuitate et humiliata reductus est episcopus cum honore ad sedem suam.

In predicta quidem obsidione monasterium monialium vallis sancte marie prope traiectum fuit omnino spoliatum et curtes eius desolate. Similiter et curtes monasterii monialium sancti Seruacii infra Traiectum situati fuerunt penitus destruete et combuste. Ita quod prefata monasteria ad magnam paupertatem deuenerunt.

M^o CCCC^o LXXXIII^o.

Vicesimus septimus abbas Campensis Henricus V. dictus de Kalkar. canonice electus anno domini millesimo CCCC^o octuagesimo tercio. quinta die Octobris. qui tunc fuit in dominica. qua cantatur Salus populi. Presidente eidem electioni venerabili patre domino Arnaldo abbate veteris montis et sacre theologie professore. ex commissione reuerendissimi domini Anthonii abbatis morimundi. immediati visitatoris nostri. Assidente sibi reuerendo domino Johanne abbe Campi sancte marie et ad hoc specialiter aduocato.

Item benedictio istius abbatis aliquantulum fuit protelata per reuerendissimum dominum Hermannum Colonensem archiepiscopum. qui eandem in propria persona explore intendebat si ad hoc aliqualiter vacare potuisset. sed propter diuersas occupationes impeditus. tandem commisit vicario suo in pontificalibus videlicet venerabili domino Johanni episcopo Cyrenensi. de ordine minoritorum. Qui post festum purificationis anno domini 1484 a Colonia descenderat pro consecrandis capellis et altaribus ad Urdynghen. kempen. wachten-donck etc. Et tunc vterius deductus ad monasterium Campense

electum abbatem sollempniter consecrauit. in festo sancti Petri ad Cathedram. quod tunc in dominica LXX^{mo} euenit. presentibus venerabilibus abbatibus domino Hermanno de Harswidehusen et domino Elberto abate de Hamborne ordinis Premonstratensis. Item dominus Arnoldus abbas veteris montis rogatus febri correptus venire non potuit. Item non fuit in recordatione aut relatione aliquorum seniorum aliquem abbatem Campensem in monasterio suo fuisse benedictum. Ceterum expense facte tempore benedictionis in monasterio fuerunt multum minores quam extra monasterium in benedictionibus abbatum fieri consueuerunt. sicut patet in registris desuper conscriptis.

De reformatione monasterii in Holthusen.

Anno domini 1483 circa festum XI milium virginum facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio dicto Holtusen iuxta opidum Buren in Westphalia. Et fuerunt illic transmisse moniales reformatrices cum noua abbatissa dicta Elizabeth wreden ex monasterio nostro Benynchusen. assistente ibidem ad tempus domina Anna ketelers abbatissa prefati monasterii Benynchusen. Sub dispositione domini Johannis abbatis Campi sancte marie. qui ibidem confessorem disposuit¹⁾.

De reformatione monasterii Harswitehusen.

Anno domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto vltima die Aprilis sc. in profesto sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum facta est cooperante gracia dei reformatio monasterii de Harswitehusen. pro qua pluribus annis laboratum fuit. sollicitantibus et cooperantibus venerabilibus domino Symone de Lyppia episcopo Paderbornensi et abbatibus henrico de veteri campo patre abbate prefati monasterii de Harswitehusen. ac domino Johanne abbate Campi sancte marie et Anthonio abate de Breydelaria. Vbi post spontaneam et liberam resignationem domini Hermanni abbatis propter perfectiorem regularis vite institutionem concorditer per omnes voces fuit electus in abbatem dominus Wernerus Cellerarius Campi sancte marie. qui etiam de suo monasterio secum retinuit duos fratres. quorum unus

1) Randnachtrag von der Hand des Chronisten mit hellerer Tinte.

ordinatus fuit post electionem abbatis in priorem et alias in sup*priorem et cantorem.*

Anno domini millesimo CCCC^o octuagesimo sexto a festo circumcisionis domini per totum mensem Januarium. fuerunt quasi continue invndationes pluuiarum et maxime tempestates ventorum et precipue in nocte subsequente diem circumcisionis domini. in qua nocte molendum monasterii nostri in villa Haren cum quadam noua domo in vna grangiarum nostrarum ibidem infra annum constructa. eadem tempestas funditus subvertit et quasi totaliter confregit. Eodem tempore ut dicebatur. ultra centum molendina ventalia. ac multa edificia in partibus inferioribus per diuersa loca ex predicta tempestate ceciderunt et plures naues periclitate fuerunt. Insuper fuerunt magne et insolite invndationes fluminorum Reni sc. et yssule. wali et mose. Ita quod multos aggeres interruperunt et ad insolita loca inopinatae aque decurrentes quosdam homines et multa animalia et iumenta submerserunt et nisi ipsis per naues a vicinis opidis et locis subuentum fuisset. multo plures fame et aquis periissent. Erat autem propterea tunc in multis locis videre et audire miseriam.

De 3^a et 4^a translatione monasterii montis domine nostre
in Yselsteyn.

Anno domini 1486 cepit reedificari monasterium de Yselsteyn non longe ab opido yselsteyn. sed quia ibidem pacem et tranquillitatem habere non poterant propter inuasiones raptorum et predonum ad voluntatem et consilium venerandi domini Dauid de burgundia episcopi Traiectensis atque frederici domini de yselsteyn fundatoris eiusdem monasterii. de licentia capituli generalis conuentus sepedicti monasterii translatus fuit sollempniter in opidum yselsteyn ad locum eis designatum per fundatorem. Acta sunt hec anno domini 1495 in festo sancti Benedicti abbatis.

De quadam deportatione sancti Victoris.

Anno domini 1487 circa festum sancti Egidii abbatis facta fuit in opido xanctensi deportatio sancti victoris gloriosi martyris cum magna sollempnitate ac indulgentiis iubilei et presentia trium aut quatuor principum et convocatione omnium ecclesiarum sub archidiaconatu xanctensi consistentium cum patronis et vexillis sicut consuetudinis ab antiquo fuit. Et eodem die pro exhibenda

statione sollempni iuxta monasterium montis principum in Campo circa occidentalem plagam ecclesie transmissa fuerunt illic meliora Glenodia cum monstratiis et Reliquis a monasterio Campensi. Et exulta sollempni statione. reportata fuerunt ad monasterium Campense¹⁾.

Anno domini 1487 in festo sancti michaelis facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio de valle sancte marie. dicto Netze. in comitatu de Waldeck. Et fuerunt illic direete moniales reformatrices cum noua abbatissa ex monasterio nostro Benynchusen. assistente ibidem ad tempus domina Petronilla protunc abbatissa predicti monasterii benynchusen. sub prouisione domini Johannis abbatis Campi sancte marie. qui ibidem confessorem de fratribus suis ordinauit. Item istud monasterium Netze prius non fuit incorporatum ordini. sed stabat sub episcopo ordinario. propter tamen reformationem fiendam in eodem monasterio. sollicitante comite de Waldeck per abbatem Campensem auctoritate capituli generalis fuit ordini Cisterciensium incorporatum²⁾.

De incendio in Euersael.

Anno domini 1487 in nocte precedente profestum sancti martini hyemalis. per inopinatum incendium combustum fuit magnum horreum monasterii in curte nostra Euerzael cum multis bladis unde monasterium maximum dampnum sustinuit.

Anno domini 1488 circa festum Pentecostes. monasterium monialium in Hassya vocatum mons Georgii ex sollicitatione illustrissimi lantgraui Hassie et Germani fratris eius archiepiscopi Coloniensis reformatum et inclusum fuit. per venerabilem dominum Johannem abbatem Campi sancte marie. Et fuerunt illic direete reformatrices moniales et sorores ex monasterio nostro Benynchusen feliciter.

Anno domini 1487 Capitulum generale Cisterciensium cum magnis expensis obtinuit a sanctissimo domino nostro. domino Innocentio papa octauo amplissimam et graciosissimam bullam. de renouatione et confirmatione exemptionis et priuilegiorum ordinis. Que sic incipit. Innocentius episcopus seruus seruorum

1) Von der Hand des ersten Fortsetzers der Chronik.

2) Mit dieser Stelle endigt die Hand des Chronisten.

dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Romani pontificis spectat officium suorum predecessorum inherendo vestigiis etc. Et pre-cellit omnes gracias et indulgencias a predecessoribus suis ordinis concessas. Vnde propter huiusmodi impetrationem generale capitulum graues contributiones illo anno et sequenti imposuit monasterii ordinis soluendas.

Anno domini M^oCCCC^oLXXXIX^o Capitulum generale Cisterciensium mutauit Statuta et formam colligationis prioratum. sub paternitate abbatis Campensis. Atque nouam diffinitionem et modum viuendi edidit et nomen colligationis mutauit in nomen confraternitatis.

De grauamine et exactione per dominum archiepiscopum Coloniensem.

Anno domini 1489 dominus Hermannus archiepiscopus Coloniensis impetravit a sanctissimo domino Iunocentio papa VIII. priuilegium. quatenus propter intollerabiles expensas et necessitates ecclesie coloniensis. ad quas proutentus mense archiepiscopalis non suppetebant. exigere posset ab omnibus religiosis tam exceptis quam non exceptis sue dyocesis unum caritatium sub-sidium. vnde appellatum fuit a patribus abbatibus et aliis monasteriis eiusdem dyocesis. et causa delata ad audientiam Capituli generalis Cisterci.

Idem fit hoc a^o. 1697 ab Archiepiscopo Col. Josepho Clemente non obstantibus protestationibus — item ab Electore Palatino Neoburgico ex concessione tali quali Pontificis praeter contributio-nes gallicas

non iam charita- }
sed coac- } tivum¹⁾.

Quapropter Capitulum generale iterum obtinuit a predicto sanctissimo domino apostolico nouam declarationem priuilegiū exemptionis et confirmationis priuilegiorum ordinis iam anno 1488 concessi sub bulla executoria ad dominum Andream de ponpeo episcopum Cabilonensem que sic incipit. Innocentius episcopus

1) Randnachtrag aus dem 18. Jahrhundert.

Seruus seruorum dei venerabili fratri episcopo Cabilonensi. Salutem et apostolicam benedictionem fide dignorum relatione accipimus. Quod licet monasteria et alia religiosa loca etc.

Item adhuc non cessante infestatione prefati domini Archipiscopi Coloniensis pretendentis. quod supradicta priuilegia essent generalia et sua causa et gracia impetrata esset specialis. Adhuc impetratum unum breve apostolicum in speciali pro monasteriis ordinis in dyocesi coloniensi situatis. Sub sigillo piscatoris. Quod sic incipit. Innocentius papa octauus. Dilectis filiis Abbatibus et Abbatissis ac prioribus et priorissis monasteriorum Cisterciensis ordinis. illorumque conuentibus ciuitatis et dyocesis Coloniensis. Dilecti filii Salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus non absque graui animi displicantia. Quod licet omnia monasteria vestra etc. Iстis tamen non obstantibus dominus archiepiscopus violentias. vexationes et dampna intulit monasteriis et licet diu per appellationes et iuris obstacula obuiatum sit ipsi. tandem tamen propter redimendas vexationes compulsi sunt prelati ordinis cum ipso componere in certis pecuniarum summis. Vnde eciam monasterium Campense circa annum nonagesimum compulsum fuit dare non de iure sed de facto. ducentos florenos aureos. sc. et omnia monasteria monialium concordarunt cum eodem per se vnumquodque prout leuius poterat. Item pro defendendis priuilegiis et exemptione exposuerunt monasteria ultra quadringentos florenos.

De decimis quas dedimus domino pape.

Anno domini 1490 dominus Innocentius papa octauus. exegit a monasteriis vtriusque sexus ordinis Cisterciensis decimas prouentuum vnius anni. Quarum collector per Almaniam fuit dominus Raymundus venitzer Canonicus ecclesie sancte marie ad gradus moguntinensis et familiaris domini pape. inimicus de predictis. etiam ex assensu domini Reuerendissimi Cisterciensis abbas et capituli generalis. exegit quasi absque iniuria ab abbatis in Colonia post octauas pasche congregatis plura et recepit a monasterio Campensi centum florenos aureos. a monasterio veteris montis Centum et XXV. a monasterio Campi sancte marie CL etc. preter expensas desuper factas.

De reformatione monasterii monialium Leden iuxta Osenbrug.

Anno domini 1491 reformatum et reclusum fuit monasterium monialium dictum leden in Osnaburgensi dyocesi. quod multum abberauerat ab obseruantia ordinis. et stetit sub episcopo ordinario. Sed cooperante comite de Teclenborch iterum subiectum fuit ordini et incorporatum per abbatem Campensem auctoritate Capituli generalis.

De molendino equestri.

Anno domini 1491 constructum fuit molendinum equestre iuxta molendinum ventale super Nurssenbergh prope monasterium.

Anno domini 1491 post festum circumcisionis fuit hyems asperrima et longa. Item quod Rhenus duabus vicibus fuit constrictus glacie. Qui eciam in ultima degelatione et resolutione sua cum maxima invndatione plurima dampna fecit excedendo ripas et terminos suos. destruendo aggeres. euellendo arbores et arbusta. euertendo domos. submergendo homines et iumenta. replendo eciam plures egregios agros arena ita vt steriles existant. Item ex vehementia algoris perierunt vinee. et alie arbores fructifere ita quod pauca vina et fructus arborum fuerunt. Et secuta est estas pluuiosa et frigida. Et ex multis pluuiis et invndatione riuorum plurima frumenta et pascua fuerunt submersa. et subsecuta est inopinata caristia et penuria omnium rerum. Insuper in autumpno propter multas pluuias et terre humiditatem vix arari aut seminari potuit. Etiam fuit in aliquibus locis magna mortalitas animalium. propter putrefactionem feni et aliorum pastularum.

Anno domini 1492 fuit maxima siccitas per totam estatem unde et pauca blada et pauci fructus arborum creuerunt et secuta est magna caristia et penuria multarum rerum.

De reformatione et inclusione monasterii Welueren.

Anno domini millesimo quadringentesimo XCII^o in profesto sancte Gertrudis cuius festum tunc euenit in dominica qua cantatur letare Iherusalem facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio Welueren. sollicitante ad hoc et adiuuante reuerendissimo domino Hermanno Coloniensi archiepiscopo. Et

uit magna difficultas et resistantia monialium abhorrentium reformationem. unde et maior pars ipsarum protunc exiuit.

Et fuerunt ibidem reformatrices noua abbatissa et alie moniales de monasterio Benynchusen.

De reformatione et inclusione monasterii Lewenhorst in hollandia.

Anno domini 1493 in festo sancti Panthaleonis facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio Lewenhorst in hollandia. ubi duplo maior pars monialium clausuram acceptauerat ad VIII pro deliberatione exiuerunt. sollicitante ad hoc et adiuvante nobili viro Johanne comite de Egmonda locum tenente in Hollandia et Zelandia etc. ex commissione serenissimi domini maximiliani regis Romanorum ac eciam illustrissimi principis philippi filii eius. archiducis Austrie. ducis Burgundie Brabantie etc. comitis Flandrie Hollandie Zelandie etc.

Et fuerunt illuc directe reformatrices moniales de monasterio Furstenbergh.

De quodam incendio in opido Berckensi.

Anno domini 1494 ipso die sancti Seruaci episcopi qui tunc eruit feria 3^a post festum ascensionis domini. exortum magnum incendium circa XI horam dici in opido Berckensi. in vico iuxta forum. Quod exinde flante vehementer vento orientali combussit et incineravit versus orientem in brevi tempore terciam partem domorum eiusdem opidi. In quo incendio eciam vorax flamma conflagravit Capellam monasterii Campensis cum tribus Altariis et cum domo habitationis et horreo curie eiusdem monasterii et insuper tres alias domos cum attinentiis suis in eadem platea etiam monasterio pertinentes. Item eodem tempore in diuersis opidis et locis dicebantur fuisse incendia exorta et multa edificia concremasse.

Sexaginta domus vel circiter abstulit ignis.

Plebi Berckensi vento veniente repente.

Cum factum fuerit tunc Seruacii memor esto.

Anno Milleno cum quingentis. dime sed sex.

Littere ostendunt datum quo contigit anno¹⁾.

1) Randnachtrag.

Eodem anno sc. 1494 ecclesia monasterii Campensis in testudinibus fuit decenter depicta.

Anno domini 1495 domus bladorum in opposito ecclesie circa portam mediam que ruinam minabatur instaurata fuit per nouum ab anteriori parte murum appositum.

Eodem anno cepit instaurari capella curie nostre Bercka que precedenti anno fuerat combusta.

Eodem anno organa noua in ecclesia monasterii Campensis constructa fuerunt.

Anno domini 1495 in festo sancti Benedicti abbatis facta fuit translatio monasterii montis domine nostre de prope yselsteyn in opidum yselsteyn. vide supra in precedenti pagina.

De magna glacie.

Anno domini 1496 hyemps gelida fuit vnde adhuc circa festum pasche preter solitum in mari magno in aliquibus regionibus reperta fuit glacies in spissitudine XII pedum ita quod naues marine transire non poterant. Quin eciam in tempestatibus plures naues per glacies in mari fluitantes in partibus stagnalibus confracte fuerunt ac perierunt.

De invndatione aquarum.

Et eodem anno circa mensem Maii multe invndationes aquarum fuerunt in partibus Reni. vnde agri per interruptiones aggreditum in multis locis cum bladis et multis edificiis maxima dampna increuerunt.

De tempestatibus diuersis et casu edificiorum et arborum.

Anno domini 1496 in die sanctorum marci et marcelliani martirum tempestates magne fuerunt in aquis et in terra cum tonitruis et pluuiis circa horam vesperarum ita quod multe naues periclitante fuerunt. Insuper multe arbores confracte aut euulse. et plura edificia domorum pro parte destructa fuerunt. Et eodem anno in crastino translationis sancti Benedicti abbatis circa horam quintam post meridiem maxima tempestas cum tonitruis et pluuiis exorta fuit que multa edificia prostrauit et in silvis plures arbores euulsit radicitus aut confregit. Quin eciam turres ecclesiarum in villagiis sc. Huls. Creuert. Greueraed et in Embria

juxta moers super ecclesias suas ceciderunt et pariter confracte fuerunt. Eciam in opido Duysborgensi super Renum multa edificia prostrauit et vix ut dicebatur aliquod edificium in toto ille-
sum permansit ibidem et eciam in locis vicinis multe turres et
dificia ex eadem tempestate corruerunt.

De concrematione ecclesie in Nussia.

Eodem anno in nocte sancte Marie magdalene in tempestate
ex iectu et igne fulminis turris et ecclesia sancti Quirini. preter
chorum terribiliter concremata fuerunt.

De tempestatibus et invndationibus aquarum.

Anno domini 1497 inchoante post festum Epyphanie Domini
fuerunt magne ventorum tempestates et maxime invndationes Rheni
et aliorum fluuiorum ac riuorum ita quod ex impetu ipsorum
uersa fuerunt edificia domorum et homines submersi et diuersi
aggeres ab aquis multipliciter interrupti ex quorum interruptione
multi egregii agri arena perfusi sunt. et quasi irreparabiliter in
sterilitatem redacti. Insuper in nocte subsequente festum sancte
Anne fuerunt tonitrua magna. et grandines maxime ultra quan-
titatem ouorum ceciderunt. que plura frumenta vsque ad solum
destruxerunt.

Preterea eadem estate plures tempestates ventorum et pluiae
exitierunt et plures agros submerserunt. Quapropter messis pro-
pria et grauis pro colligendis frugibus et feno fuit.

De magna siccitate.

Anno domini 1498 a principio mensis Maii vsque ad messem
fuit calor estatis et siccitas magna absque pluia. in tantum quod
plures arbores blada et vinee in multis locis exaruerunt. vnde
pauci fructus arborum et frumenta creuerunt.

De victoria turcorum contra christianos.

Eodem anno rex Turcorum paganus et crudelis cum exercitu
copioso inuasit Regnum et Archiducatum austrie et terras Maxi-
miliani Romanorum regis. et vt fertur multas ciuitates et do-
mina christianorum sibi subiugauit. nullo resistente.

De inuasione ducatus Gelrensis.

Eodem anno circa aduentum domini prefatus Maximilianus Romanorum rex cum adjunctis sibi ducibus et principibus intravit ducatum Gelrensem quem suum esse asserebat. Et in primis vi armorum cepit opidum Stralen. et alia depredatus est. Neque quidam de exercitu suo timoris dei et sui honoris et salutis oblitii pepercerunt ecclesiis monasteriis ac locis sacris. sed omnia que in illis inuenerunt in contumeliam dei abstulerunt.

Et eodem tempore monasterium Campense maxima dampna in possessionibus et grangiis in ducatu Gelrensi situatis sustinuit.

Et multiplicata fuerunt mala super terram. Erat autem tunc in multis locis videre miseriam et audire lamentationes. Et erat guerra grauissima inter duces Juliensem et Cliensem ex una parte et inter ducatum Gelrensem ex altera parte.

Anno domini 1499 inchoante XV die mensis Januarii Stephanus van der Schuren eo tempore prior monasterii Campensis sollempniter promotus fuit in doctorem iuris canonici in ecclesia maiori Coloniensi. Et eodem die prandium fuit seruatum in civitate in domo consueta pro aliis doctoribus. sed de vespere fuit Aula doctoralis in curia monasterii Campensis sita in opposito monasterii sancti Johannis iherosolimitani.

De refectorio in infirmitorio.

Anno domini M° 99^o reparatum fuit et deaptatum refectorium in infirmeria cum fornace califactorii pro infirmis fratribus. et pro conuentu in gracia apostolica pro esu carnium per fratrem Rabanum dictum de Bueren fratrem donatum monasterii Campensis.

De spontanea resignatione domini Henrici Abbatis Campensis.

Anno domini 1499 XII die mensis Aprilis frater Henricus de kalkar Abbas XXVII^{us} monasterii Campensis propter senium et propter frequentes infirmitates et debilitates corporales sponte resignauit dignitatem Abbatialem. In presentia venerabilis domini Henrici Abbatis monasterii Campi sancte marie et domini Gerardi prioris in maiori Buyrloe per commissionem Capituli generalis. Et eodem tempore propter guerras alii presentes

abbates aduocari absque periculo non poterant. Et successit eidem in regimine abbatie per canonicam electionem eodem die factam dominus Theodericus de wesalia. protunc grangiarius bonorum monasterii in Haren. Et postea in breui tempore benedictio et consecratio ipsius ex commissione Reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis Archiepiscopi celebrata fuit per Reuerendum dominum Johannem syrenensem Episcopum protunc vicarium domini Coloniensis in pontificalibus in capella domus sue in Colonia iuxta monasterium fratrum minorum. quia infirmus fuerat nec poterat ad aliam ecclesiam accedere. Fueruntque ibidem presentes domini Abbates de veteri monte et de heysterbaco. et alie persone ordinis.

M^o CCCC^o XCIX^o.

Vicesimus octauus Abbas monasterii Campensis dominus Theodericus vermucken de wesalia canonice electus anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo IX^o. XII die Aprilis. presidente ex speciali commissione capituli generalis venerabili patre domino Henrico abate monasterii Campi sancte marie cum assessore domino Gerardo priore de maiori Buyrloe. quia propter grauisimas guerras inter ducem Montensem et Juliacensem et ducem Gelensem dominus Abbas de veteri monte advocari non poterat. absque periculo et timore captionis aut spoliationis.

Item benedictio seu consecratio istius Abbatis de licentia domini Hermanni Archiepiscopi Coloniensis disposita fuit vt celebaretur in monasterio orti sancte marie in Colonia. Sed superueniente domino Johanni Suffraganeo repentina infirmitate ad predictum monasterium accedere non poterat. Ideo in capella domus sue compleuit eam presentibus venerabilibus dominis Abbatibus de veteri monte et heisterbaco.

Item temporibus istius abbatis occurserunt monasterio Camensi multa mala.

Item 2^o anno regiminis sui ad contemptum aliquorum fratrum malo spiritu vehementer abscidi fecit plures arbores buxi de quibus solent tolli rami palmarum et diuersa alia et fuit in dampnum monasterii¹⁾). Iste Theodericus obiit anno 1503^o ipso die Leodegarii martiris.

1) Randnachtrag von „Item benedictio“ an.

Anno domini millesimo quingentesimo in vinea Campensi prope monasterium creuit de gracia dei melius vinum. quam in multis preteritis annis neque in memoria hominum simile fuit.

De noua consecratione et dedicatione Capelle monasterii in Bercka.

Anno domini M° quingentesimo in crastino assumptionis sancte marie quod tunc fuit in die dominica. Capella monasterii Campensis in opido berckensi que anno domini 1494 per incendium ciuitatis fuerat concremata. de novo fuit sollempniter consecrata cum altaribus tribus a Reuerendo domino Johanne Episcopo syrenensi et vicario in pontificalibus Reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis Archiepiscopi.

De dampnoso incendio horrei in Euersael.

Anno domini quingentesimo in nocte precedente vigiliam sanctorum Symonis et Jude circa decimam horam noctis. quidam malignus homo dictus Theodericus Daerman de kempis. qui ad aliquot annos fuerat seruitor in hospitali pauperum cirea portam monasterii Campensis sed propter invititatem et infidelitatem suam licentiatus et dimissus fuerat a seruicio suo et receptis rebus suis recesserat pacifice et habitabat in kempis et inde propter forefacta sua expulsus vagabatur ubique. Qui tandem maligno spiritu instigatus aut prauorum hominum consilio persuasus. pretensis pro causa malicie sue quibusdam verbis iniuriosis sibi forte vt dicebat a quibusdam personis monasterii aliquando illatis. fecit monasterio maximum dampnum incendendo magnum et amplum horreum plenum bladorum de cremento et decimis illius anni in grangia monasterii in Euersael.

Istis annis fuerunt guerre graues inter duces Gelrenses et Cliuenses per incendia et rapinas et mortes hominum et diuersa mala. vnde et monasterium Campense plura dampna pertulit per rapinas et incendia et exactiones etc.

Anno domini 1503 fuit estas nimis calida et arida. ita fructus terre et arborum in multis locis exaruerunt et in aliis locis competenter creuerunt. Et eodem anno propter terre siccatem renouata fuerunt multa fossata circa monasterium Campense et circa nemora et agros. Et eodem anno in festo sancti

Laurencii de mane circa tempus missarum spoliati fuimus in-
juste et violenter possessione ecclesie Berckensis vsque ad penulti-
mam diem februarii.

Anno domini 1503 in ducatu Gelrensi diu obsessum fuit et
tandem expugnatum et captum fuit castrum Batenborch. cuius
occasione multa dampna in grangiis nostris in haren pertulimus.

Eodem anno sc. 1503 circa festum exaltationis sancte crucis
Gelrenses inimici Cliuensium callide et dolose nocte obtinuerunt
opidum wachtendonck. sed quia castrum ibidem obtinere non po-
terunt longa obsidione et impugnatione fatigauerunt eos qui ex
parte ducis Cliuensis fuerunt in castro. et tandem quamvis adhuc
salis habundarent victualibus et requisitis bellicis tamen in sacra
obdomada ante Pascha continua impugnatione fatigati et continuis
laboribus exhausti amplius non valentes resistere Gelrensibus
castrum reliquerunt feria 2^a pasche que fuit 7^a dies aprilis et
saluis corporibus et rebus dimissi fuerunt a Gelrensibus. Et
occasione istius obsidionis et expugnationis monasterium Cam-
pense pertulit grauia dampna in redditibus et decimis.

M^o V^co III^o.

Vicesimus nonus Abbas monasterii Campensis dominus Engel-
bertus Bisscop de Colonia canonice electus anno domini M^o quin-
quagesimo 3^o XXII die mensis Octobris sc. in die sancti Seue-
rini episcopi presidente ex commissione capituli generalis venera-
bili domino Henrico abate Campi sancte marie. assidente sibi
domino priore de maiori Buyrloe. Ad hanc electionem primo
vocatus et inuitatus fuerat dominus abbas veteris montis. qui
propter infirmitatem et alias causas venire non poterat. Iste
dominus Engelbertus paucis mensibus prefuit.

Obit vero anno 1504 octaua die mensis Aprilis. que tunc fuit
feria 2^a post pascha. Item prefatus dominus Engelbertus recepit
benedictionem episcopalem a reuerendissimo domino Hermanno
archiepiscopo Coloniensi. quia vicarius suus siue Suffraganeus
defunctus fuerat. Actum fuit in castro Bruyl in vigilia nativiti-
tatis domini eodem anno in ecclesia fratrum minorum de obser-
vancia presentibus ibidem venerabilibus dominis abbatibus de
veteri monte et de Tuicio ordinis sancti Benedicti.

Anno domini 1503 in nocte precedente vigilia apostolorum

Simonis et Jude. quemadmodum ante triennium eadem nocte circa decimam horam incensa fuerunt et combusta fuerunt duo magna horrea plena bladis in Euersael. Sed per quem uel quos adhuc ignorabatur. Sed non diu post compertum fuit quod ille idem Theodericus dairman qui anno domini M^o quingentesimo ibidem incendium fecerat. tunc iterauit et maiora dampna sicut postea captus recognouit facere disposuit. Ipse enim eodem anno circa moersam a quibusdam ruralibus agnitus et captus atque ad opidum Moersense perductus et traditus iudici et iusticie seculari in profesto sancti martini de mane. Et inuenta fuerunt apud eum plura instrumenta requisita incendiariorum. quibus in breui tempore ut fatebatur intendebat plura incendia facere etc. Et continenter in octava sancti martini post examinationem ipsius. adiudicatus fuit iudicialiter ad mortem incendiariorum et affixus et cachenatus ad stipitem combustus fuit apud moersam prope stratam publicam ad spectaculum populi transeuntis.

Anno domini 1504 circa festum pasche reedificatum fuit horreum in Euersael iam in breuibus annis tertio combustum. Item et aliud horreum paruum quod spectabat ad Colonum grangie.

De restitutione in pacificam possessionem ecclesie Berckensis.

Anno domini 1504 penultima die mensis februarii via iusticie restituti fuimus ad pacificam et realem possessionem ecclesie Berckensis. despoliati fuimus precedenti anno in festo sancti laurentii multum iniuriose et violenter. disponentibus quibusdam de consulatu Berckensi inimicantibus nobis et quidam alias diu excommunicatus pluribus annis in despectum nostri introductus fuit dictus Johannes Steenhagen pastor in Reclar. Facta fuit hec restitutio in presentia reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis archiepiscopi in castro suo Bruyll in pleno Consilio.

De ista restitutione et compositione cum Berckensibus et diversis causis confecta sunt publica instrumenta et signata sigillo domini archiepiscopi Coloniensis.

M^o V^co IIII^o.

Tricesimus Abbas monasterii Campensis dominus Anthonius bemmel de Nouimagio canonice electus anno domini millesimo quingentesimo quarto in festo sancti marci euangeliste. presidente

generabili domino Henrico abate Campi sancte marie ex commissione capituli nostri generalis. assidente sibi domino Gerardo priore de maiori Buyrloe. quia propter guerras aliquem abbatem habere non poteramus.

Iste dominus Anthonius eodem anno feria 2^a pentecostes per Reverendissimum dominum Hermannum Coloniensem archiepiscopum quia suffraganeum protunc non habuerat solemniter fuit benedictus in civitate Bonnensi in ecclesia sanctorum Cassii et florencii martirum. presentibus ibidem et assidentibus venerabilibus dominis abbatibus Wilhelmo de Heisterbaco et domino Gherlaco abate tuyciensi ordinis sancti Benedicti cum aliis religiosis.

Anno domini 1504 fuit estas longa sicca et calida et quodammodo sine pluia ita ut arbusta in multis exaruerunt et pauca blada creuerunt. Eodem tempore in mense maio fuit plaga erucarum innumerabilium que fructus et folia arborum deuastauerunt sic quod in multis locis parum creuerunt et glandes et faga omnino defecerunt.

Eodem anno in festo sancti Sixti pape celebrate fuerunt misse de nouo vino illius anni. sed propter siccitatem et nimium solis ardorem vix dimidium crementum in monasterio habuimus.

Eodem anno circa festum sancti Bartholomei apostoli fuit terremotus in ista patria circa decimam horam noctis ita ut edificia domorum et turrium concuterentur et homines in lectis iacentes terrerentur sed non diu duravit.

D. Johannes Middels ab Hüls 31. abbas 1504.

D. Henricus ab Orsoy 32. abbas 1524.

D. Johannes Ingenray ab Hüls 33. abbas 1529.

De hisce vide catalogum Abbatum typis excussum¹⁾.

D. Rhicardus de Xantis. 34. abbas. hic moribus magis quam litteris instructus inita cum Magnatibus familiaritate non pauca debita contraxit, nonnullos quoque redditus immobiles diuendidit et omnia in peius vergere coeperunt, ubique invalescente Lutheranismo. Obiit Aº. 1573. sepultus in Campo.

1) Ob hierunter das Werk Jongelin's oder des Campener Mönches Ditmar zu verstehen, ist nicht klar. Letzteres ist dem Abte Johann Ingenray gewidmet; vergeblich habe ich dasselbe aufzutreiben versucht.

*D. Johannes Langenray ex oppido Wachtendunck abbas 35.
Si talis oeconomus qualis theologus (Theologiae doctor erat)
fuissest, plurimum suo monasterio profuisset, sed nimium tribuens
suo cellarario viro infideli, obfuit plurimum contrahendo maxima
debita et alienando bona haud vulgaria circa Nouesium et Vr-
dingam sita, hic aduertens bona siue redditus monasterii non
fore sufficientia ad supportanda quotidiana grauamina tam con-
suetae hospitalitatis quam incursionis militum Geusorum, ita
vocabantur, dereliquit monasterium et assumptis secum quibusdam
fratribus Novesium iuit ibidemque in curia Campensi commoratus
est quod ipsum prior et seniores aegre tulerunt et improbarunt.
Schismate illo inter abbatem et conventum orto cellararius de quo
supra et sui asseclae circa Campum, abbas vero circa Bedbur
bona monasterii certatim quasi diuendere et oppignorare coeperunt
Aº. 1579 et sequentibus. Obiit predictus abbas Aº. 1584 No-
vesii ibique sepultus.*

*D. Godefridus Dracks de Loberich Abbas 36. Coloniae Aº.
1585 electus per quosdam. reclamantibus aliis adhuc in Campo
permanentibus. Dum Colonia excedit capitul a Geuseis et lybrum
5000 millium dalerorum soluere cogitur, hoc infelix sui regi-
minis auspicium grauatum Campum magis agrauauit, ita ut
Aº. 1586 plane desertus sit et manserit. Hic vir pede quidem tur-
dus sed ingenio perspicax maxima debita per suos antecessores con-
tracta cum cluere non posset, sumptuosis processibus retardare
voluit, vnde procuratores ditauit, Campum non meliorauit, deposit
enim cum vsura soluenda fuere. Hic abbas 27 annis circiter
Coloniae solitarius vixit nec vllum nouitium, nisi Aº. 1608 primo
suscepit; resignauit Aº. 1612. mortuus Aº. 1622, Coloniae se-
pultus¹⁾.*

1) Neben diesen Abt ist vor der Chronik ein Blatt eingehefstet, auf dem in Versen
auf dessen Gefangenschaft hingewiesen wird:

Aº. 1585.

Anno milesimo quingentesimo octuagesimo quinto cum in oppido Berck
duos dies ultra sedecim septimanas captiuus habitus fuisse ac pro redemptione
quatuor millia thalerorum et quadringentos: pro sumptibus vero sexcentos
dedissem, vigesimo quinto Augusti eiusdem anni cum saluo conductu veni

D. Carolus Abbas 37. Vir quieti deditissimus, parum sollicitudinis in se suscipere potuit aut voluit. sub hoc praeculta illa bona intra Mosam et Walim sita, inconsulte heu heu diuendita sunt.

Insignis illa curtis Stromeurss pro 6000 imperialibus oppignorata et nonnulla alia quae plus obquam profuere. acta non tam per illum quam suum cellararium. Sub hoc abbatte novelli fratres numero quatuor per predecessorum suscepti Colonia Beream venere Aº. 1613 ibidemque officium diuinum in capella Campensi egerunt, assumptis paulatim nouitiis pluribus. resignauit Aº. 1622. obiit Nouesii Aº. 1633. et sepultus est in Eppinchhoven.

D. Laurenlius de Bever Cliuensis. Abbas 38 electus 1622. De eo scribat alius¹⁾.

Anno domini millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Hollandi intercepserunt ciuitatem Wesaliensem stratagemate quodam.

Eodem anno mense Septembri ciuitas Buscoducensis catholissima capta est ab Hollandis haereticis primo postquam duabus vicibus frustra id attentassent et postrema vice septimanis acerrime restitissent et plurimas clades hostibus eruptionibus suis et explosionibus tormentorum intulissent tandem de succursu desperantes et ob defectum pulueris tormentarii se dedere sunt coacti sub certis conditionibus.

Item anno 1629 Hollandi vterius progressi inuaserunt Duisbergensem ciuitatem, Dinslaken, Holt, Rorort, Ratingen, Essendam, Werdenam et plures alias Cliuensis et Montensis ducatus ciuitates seu castella.

Anno 1630 Düsseldorpium miro quodam stratagemate inuaderem conati sunt, sed frustra et irrito euentu.

Xantos ibique multas adversitates et perturbationes passus vixi in summa parcitate.

Godefridus Draeck,
Abbas vet. campi.

Ego frater Andreas Holtman haec suprascripta inueni in antiqua et lacerata chartula ita per propriam manum domini Godefridi Draeck, Abbatis exarata atque hic pro posteriorum memoria annotauit Aº. 1674 die 16. Aprilis.

1) Ob das Vorhergegangene von Johann Middels ab bis hier von ihm selbst vielleicht herführt? Es ist von einer und derselben Hand geschrieben.

Eodem anno Caesariani Hollandos aggressi sunt apud Solingen magnamque praedam quam ex oppido Euerult secum tulerant eisdem eripuerunt plurimis Hollandorum caesis et oppido Solingen quo se Hollandi receperant spoliato.

Rhenobercae electus inde aut proprium motum sequens aut Rhenobercanorum indolem fugiens conuentum Nouesium transiit, relinques domum nostram Rhenobercanam desertam et cuique patentem unde primo Hispani, postea Resa, Wesalia ac Rhenoberca expugnatis, Hollandi seu Geusii candem pro gubernatoris hospitio per 43 continuos annos occuparunt cum ingenti monasterii damno utpote in eius reparazione dictis annis ultra 4000 Imperialium exposita fuere. Hic diuerso idiomate latino, gallico, italico quasi materno pollens, exteris mirus sed ob exiguum charitatem suis ingratus, tantis abundauit divitiis, quantis a ducentis et amplius annis nullus inter Campenses . . . fuit et in tanta rerum abundantia (zwei bis drei Wörter sind bis zur Unleserlichkeit hier ausgestrichen) dignitati renuntiauit ac biennio post in aula veteris montis Coloniae catarro suffocatus ad hortum B. Mariae sepelitur, postquam non modo prudenter sed et gloriose annis circiter tredecim monasterio profuisset. utinam perseverasset usque ad finem.

Petrus Polenius ex Wachtendunck 39. Abbas Nouesii eligitur, vir triginta annis praesul ter denas . . . genuit proles et post continuum sexaginta annorum exilium conventum suum ad locum nativum reduxit. Anno 1640 mitram pro monasterii et ordinis . . . ore (splendore?) a praedecessore suo comparatam primus usurparvit, tandem senectute gravis officio cessit et . . . (mehrere Worte abgeschnitten) vale dedit Coloniae in curia nostra, sepultus ad SS. Ioannem et Cordulam, Campum aere alieno misere oppressum derelinquens.

D. Ioannes Hoën Nouesiensis 40^{mus} Abbas vir gravis et prudens. vix sacerdos ob singularem litteraturam ad parochiale curam in veteri ecclesia pago Geldrensi assumptus eademque 24 annis cum omnium applausu et non mediocri animarum luero perfunctus, tandem canonica fratrum electione in patrem evocatus campo nostro paucis annis ita praefuit, ut plurimum profuerit: indefessis precibus Archiepiscopum Colonensem eo permouit, ut rem nostram egerit et monasterium apud Hollandos exemerit ab onere

solvendi singulos in annos Haeretico praedicanti in Rhenoberca
Ducentos Imperiales et sexaginta carucas lignorum ad quod a
Geusis per 38 aut 40 circiter annos coactum fuimus. post mul-
tos labores anno regiminis sui octauo Coloniae in curia nostra
calculo extinctus et in horto B. Mariae sepultus est, postquam
Campum praedecessoris sui incuria aere alieno multum gravatum
magna ex parte liberasset.

D^{ns} Andreas Holtman Geldriensis 41. abbas in Campo elec-
tus anno 1672: inde tamen cum suis mox cedere coactus ingra-
vescente Gallorum cum Batavis bello. hic a principio regiminis
quod vix 30 annos natus cum culinarii et subprioris officiis
strenue administratis se probasset ad altiora natum auspicatus
fuerat continuis exercitus motibus praesente semper animo stetit
invictus. et quum.... post fata livor, fateri res ipsa cogit, quod
antecessorum suorum laudes vel aequaverit vel potius superarit.
1695. 17 Junii in domo nostra Coloniensi extremis robo....
praemunitus obiit aetatis 53^{to} anno et ad hortum B. M. V. se-
pultus requiescat in aeterna pace.

1695.

Canonica electione in refugio nostro Rhenobercano D^{no} An-
dreae suffectus est Dominus Edmundus à Richterich, Julias ex
Confessario Coeffeldano 42^{dus} Abbas. Vir religiosus ac timens
Deum, qui tempore decennalis regiminis litem illam annosam,
sumptuosam ac periculosam monasterium inter et dominum in
Bedbur Comitem de Salm per viam concordiae feliciter termi-
navit, fabricam novi templi ac Claustrum nostri a Praedecessore
A. 1683 inchoatam permagnis impensis eousque perfecit ut anno
saeculari 1700 ipso sanctae Elizabethae ex angustiis Rhenob-
